

**VISITA PASTORALE
DI VALEGGIO E VILLAFRANCA
DI GIOVANNI BRAGADINO**

Vescovo di Verona

PRIMA VISITATIO 1747 – Liber Undecimus

REGISTRO LXVII



1747

[A margine: VALEDII ET VILLAEFRANCHAE]

PRIMA VISITATIO ECCLESiarUM
VERONENSIS DIAECESIS
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI
IOANNIS BRAGADENI EPISCOPI VERONENSIS
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE
PRAELATI DOMESTICI
ASSISTENTIS ET CETERA
LIBER XI

LXVII

Bernardo Ronchi Cancellario

SCALLA DELLA VISITA IN SETTEMBRE 1747

Parochiali	Miglia	Anime	Oratorii	Permanenze
Da Verona a Valezo	14	3358	5	sabato 9 – 15 settembre
	Venerdì sera a Villafranca per la funzione de Cappuccini lunedì mattina 18 a Verona per le sacre ordinazioni			
Da Verona a Villafranca	10	2800	6	23 sera – 29 sera
Quaderni	2	664		30 mattina – 1 ott. mattina 1 sera a Villafranca
Dossobon	8	318	1	2 ottobre
Ritorno a Verona il lunedì 2 ottobre di sera.				

INDICE DELLE PARROCCHIALI

D – Dossobono Santa Maria Maddalena, carte 65

Q – Quaderni San Matteo Apostolo, carte 59

V – Valezo San Pietro Apostolo, carte 2; Villafranca San Pietro Apostolo, carte 34

INDICE DEGLI ORATORII

C – Santissimo Crocefisso sotto Villafranca, c. 43 – Santa Croce sotto Dossobono, c. 66

D – La Disciplina sotto Villafranca, c. 44

F – San Francesco sotto Villafranca, c. 42 tergo

G – Santa Giustina sotto Valezo, c. 12t – San Giovanni Nepomuceno sotto Villafranca, c. 42 – San Gerolamo di Rosegaferro sotto Villafranca, c. 45

L – Santa Lucia sotto Valezo, c. 6

M – San Marco del Borghetto sotto Valezo, c. 18

R – San Rocco sotto Valezo, c. 22 – San Rocco sotto Villafranca, c. 41

Z – San Zeno sotto Valezo, c. 13.

[1] In nomine Domini. In Christi nomine amen. Anno ab eius Nativitate millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, indictione decima, die vero sabbathi nono mensis septembris, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti, divina providentia papae decimi quarti, anno eius octavo. Illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, cum pastorem visitationem veronensis diaecesis, pro aliis expediendis suae ecclesiae negotiis intermissam, prosequi statuerit infrascriptis ecclesiis, rite denunciata visitatione, praemissisque ad adventum suum praenunciandum admodum reverendo domino Fortunato Pighi, archipraesbytero parochialis ecclesiae Sanctorum Firmi et Rustici ad Pontem et reverendo domino Simone Finza, sacerdote accolytorum praeceptore, post prandium praesentis diei, secum sumptis illustrissimo domino Petro Antonio Albertinio iuris utriusque doctore, provicario suo generali, reverendo domino Dominico Ruzenente, in hac visitatione caeremoniarum magistro meque visitationis notario aliisque sacerdotibus et familiaribus suis, in ecclesiam suam cathedralem descendit fuisque precibus ante sanctissimum Sacramentum, rhedam suam conscendit et cum suo comitatu Valedium versus iter arripuit. In itinere fuit deveneratus ab admodum reverendo domino archipraesbytero Villaefranchae et a domino capitaneo Antonio Manfron, cum suam cohorte equitum, vulgo *dragoni*, a quibus stipatus iter suum [1^v] prosecutus est; ad confinia perventus, praesto illi fuit domini syndicus et consiliarii communitatis Valedii nec non dominus Elias Mazura tenens, cum centuria equestri domini ducis Craina, eorum obsequia et devenerationis argumenta praebentes, a quibus – recedente domino duce Manfron cum sua cohorte – stipatus, iterum susceptum iter continuavit. Non procul a plebe, obvium habuit admodum reverendum dominum Donatum Libera, archipraesbyterum huius loci, superpeliceo et stola indutum, cum suo clero et populo processionaliter incedente, a quo et letitiae et obsequii argumenta oblata fuerunt in haec verba: “Quod felix, faustum fortunatumque sit nobis omnibus praesul amplissime tandem aliquando optatissimus ille nobis illuxit dies, quo ecclesia haec amantissimum pastorem suum et videre et audire divinitus concessum est. Quantam ex hoc adventu tuo boni praesertim viri voluptatem capiant atque laetitiam a nemine potest satis intelligi; omnes enim quotquot in hac sunt paroecia viri ac mulieres, iuvenes ac senes, pueri ac puellae maximo gaudio exultant atque triumphant ipsaeque res sensu ac ratione carentes te adveniente gestire videntur. Hoc unum oro atque obsecro: ut me, quem prae ceteris sentio esse repraesentatione dignum, ut clerum hunc mihi carissimum omnemque populum ea qua soles clementia ac benignitate excipias?”. Cumque [2] illustrissimus et reverendissimus praesul paterni sui amoris et grati animi specimen dedisset, iter suum – clero ut supra et populo praecedente – prosecutus est ad edes usque parochiales, in quibus se se recepit, quieti indulsit, et obdormivit.

[A margine: VALEZO] Die dominico 10 septembris 1747. Facto mane omnibusque in ecclesia dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad portas edium parochialium venit et, sub baldachino a sex sacerdotibus gestato receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem sibi ab admodum reverendo archipraesbytero pluviali induto porrectam adoratus et deosculatus est; subinde, confratribus scollarum in hac paroecia existentium, suis cappis indutis et clero processionaliter praecedentibus et solita decantantibus, ecclesiam adivit, in cuius limine sistens, aspergillo accepto e manibus ipsius domini arcipraesbyteri, aqua lustrali se signavit et frequentem populum aspexit ac thurificationis honorem recepit. In ecclesiam progrediens, ante divinum Sacramentum genuflexus oravit cantatisque interea consuetis orationibus de more, altare ipsum ascendit, populo benedixit et indulgentiam suam episcopalem, de suo mandato publicatam, impertitus est. Deinde ad thronum sibi a latere evangelii decenter paratum venit, assistentibus in dalmaticis admodum reverendis dominis Ioanne Baptista Sacco, archipraesbytero Sancti Leoncii de Ponti et Andrea Tonetti, archipraesbytero Sanctae Sophiae de Albaro, pontificalibus [2^v] violacei coloris indutus, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem proximo – quod et visitavit – absolvit. Depositis violaceis sumptisque albi coloris sacris indumentis, praemissis debitis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea ex omni eius parte eleganter elaborata, vestita conopeolo serico auro texto, quae servatur in tabernaculo ligneo sub sera et tuta

clavi, quae est argentea. Hoc Sacramentum debitis temporibus renovari asseruit dominus archipraesbyter et in Paschate communicatis schedas distribui ac subinde colligi; sub hac cura extare animas a communione 2198, in totum vero 3358 nullumque adesse qui ecclesiae praecepto non paruerit; quoties autem defertur ad infirmos pro Viatico, rite decenterque associari luminibus accensis, quae suppeditantur a societate eiusdem divini Sacramenti, in hoc ipso altari maiori erecta, de qua infra dicitur, pro qua decenti associatione extare etiam suppellectiles necessariae, quas visitavit quaeque descripta sunt in policea, una cum aliis ab admodum reverendo archipraesbytero exhibita pro executione aedicti praesentis visitationis et in fine huius libri posita ad litteram A. Vidit aliam pixidem argenteam in cupa, in pede et operculo ex auricalco argento et auro linito, qua utitur [3] ad infirmos communicandos. Vidit amygdalam argenteam intus inauratam, quae tute clauditur pro communicandis infirmis distantibus ab ecclesia parochiali. Vidit et observavit ostensorium argenteum radiatum, rite instructum, quo idem Sacramentum exponitur, praesertim omnibus diebus festis a festo die sanctae Crucis mensis maii usque ad festum sancti Michaelis mensis septembris nec non sextis feriis mensis martii et novem diebus qui praecedunt solemnitatem Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, impensis communitatis et societatis praedictae ac etiam occasione functionis 40 Horarum, quae incipit in hac ecclesia parochiali a completorio sabbathi praecedentis dominicam Palmarum et perseverat delato Sacramento vigesima tertia hora eiusdem diei ad oratorium Sancti Rocchi ipsa dominica, secunda et tertia feria subsequentibus, nocturno tempore excepto, impensis partim communitatis et societatis Sacramenti et partim societatis sancti Rocchi. De qua functione interrogatus dominus archipraesbyter utrum in eiusdem fine benedicatur cum eodem Sacramento populus, respondit consuevisse populum benedici ad vespervas cuiusque eorum dierum. Quapropter illustrissimus et reverendissimus praesul monuit eundem archipraesbyterum ut, iuxta ritus romanae ecclesiae, in fine eius functionis fiat benedictio. [3^v] Processionem fieri asseruit dominus archipraesbyter cum eodem venerabili Sacramento in die Corporis Domini et in die festo praedicti sancti Michaelis; lampadem continuo ardere ante tabernaculum eiusdem Sacramenti, quae manuteneatur pro duobus tertiis a dominis clericis huius plebis, pro altero tertio a domino archipraesbytero. Sepulcrum in hebdomada maiori rite fieri exposuit in altari sanctissimae Conceptionis; dum idem divinum Sacramentum ad infirmos est deferendum, data opportunitate, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicare idem dominus archipraesbyter fassus est. Cerei qui ardent in hoc altari manuteneantur a praedicta societate sanctissimi Sacramenti. His actis, populo eodem sanctissimo Sacramento benedixit. Reposito divino Sacramento, sumptis sacerdotalibus sacris indumentis, sacrosanctum missae sacrificium celebravit et supra biscentum utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Quo absoluto, depositis sacerdotalibus vestibus, pluviali indutus suggestum conscendit, continuo assistentibus praedictis dominis archipraesbyteris in dalmaticis et sermonem habuit ad populum, quo pastoralis zelo divitias bonitatis summi Dei populo ostendit, dum ipse minister aeterni Sacerdotis Christi Iesu gregem hunc visitandum missus est ut thesauros [4] miserationum divinarum aperiet et, si quid saluti aeternae obnoxium est, evellat ac dissipet. Suasit deinde ut, si vocem Domini eius ministerio hodie audierint, nollint corda eorum obdurare, scientes tempus visitationis Domini; hortatus est ut vetus fermentum expurgent sacramento poenitentiae et ad Eucharistiam et Confirmationem atque ad alia divinae gratiae auxilia, pio et immaculato animo accedant; sacerdotes exoravit ut, huius admodum reverendi parochi religionem imitantes, in officio se contineant et populum sanctis operibus edificent. Sermonem absolvit opem a beata Virgine Maria postulando ut, sicut eius nomine implorato hostes christiani populi superati fuerunt, ita plebs ista eidem nomini devota spirituales hostes continuo eius patrocinio devincat. Tandem, solemniter benedictione elargita et publicata iam indulgentia, e suggestu descendit et ad edes parochiales reversus prandium sumpsit. Die antedicta 10 septembris 1747 post prandium. Convocatis per consueta signa in parochiali ecclesia pueris, puellis atque operariis doctrinae christianae pro huiusmodi sancti operis exercitio habendo et peracta consueta puerorum processione, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam parochialem antedictam descendit adoratoque divino Sacramento, iussit admodum reverendo archipraesbytero [4^v] ut, per interrogationes circa mysteria fidei aliaque necessaria ad aeternam salutem, pueros, puellas atque adultos experiretur; qui, praecipue obediens, per varias interrogationes ut supra factas eorum peritiam expertus est; ex quo omnes in

huiusmodi sancti operis rudimentis aliisque ad aeternam salutem acquirendam necessariis optime instructos esse cognovit, praesertim summa eius paterni animi laetitia audivit electos pueros disputantes circa doctrinam christianam eosque in ea peritissimos comperuit; deinde ex sua cathedra pastorem sermonem habuit, quo operarios laicos et ecclesiasticos viros hortatus est ut sedulam operam impendant ad hoc opus pium magis ac magis fovendum multaque argumenta proposuit quibus et patrum familias et clericorum praecipuum onus esse ostendit, ad hoc christianae caritatis opus peragendum. His actis dimissisque pueris, puellis ac operariis doctrinae christianae, visitavit olea sancta, in capsula nuca in loculo decenter parato in cornu evangelii altaris maioris, panno serico violaceo intus vestito et in vasculis stanneis rite instructis nec non vascula maiora in eorum capsula sera et clavi munita, quae mittuntur ad cathedralem feria quinta hebdomadae maioris ad ea olea recipienda et omnia vidit ad ritus ecclesiasticos parata. [5] Vidit fontem baptismalem iuxta ianuam maiorem ecclesiae, rastris ligneis clausum cum sera et clavi, tute custoditum et bene tentum. Vidit sacras reliquias, nempe ex sacris ossibus sanctorum Christi martyrum Cristinae, Constantiae et Crescentii, positas in arca lignea, nigro colore et auro depicta, tribus cristallis in anteriori parte, retro vero sigillis munita, cum suis documentis autenticis huius curiae diei 7 maii 1711, quae itidem recognitae fuerunt in visitatione diei 20 octobris 1712 quaeque custodiuntur in loculo in muro laterali altaris maioris in cornu evangelii easque ideo recognovit et deveneratus est; sacram reliquiam ex ossibus sancti Georgii martyris, in altari sub titulo sanctissimi Nominis Iesu seu eiusdem sancti Georgii, sigillo et litteris patentibus huius curiae diei 7 octobris 1737; ex ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini fratris Vincentii Bragadeni, episcopi scardonensis, diei 20 augusti 1737, in hac curia recognito die 2 iulii 1742, quam – thure adhibito – recognovit et deveneratus est. Visitavit denique sex confessionalia, in ecclesia rite disposita pro excipiendis utriusque sexus christifidelium confessionibus, bene tenta. Quibus peractis, ad edes parochiales restitutus in proprio cubiculo se se recepit, quieti indulset et incenatus obdormivit. [5^v] Die lunae 11 septembris 1747. Illustrissimus dominus provicarius generalis summo mane se contulit cum me notario ad visitanda oratoria infrascripta. Et primum [a margine: San Giorgio] visitavit publicum oratorium Sancti Georgii, infra limites Valedii, de iure comunitatis eiusdem loci, quod unicum habet altare ex muro in mensa, lapideum cum portatili, in coeteris partibus ligneum, cum imagine sancti Georgii ex ligno sculpta. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione; praesertim communitas huius loci semel in hebdomada et die feriali celebrare facit per tres menses hestivo tempore et cappellanus est reverendus dominus Corradinus Corradini, qui recipit stipem a communitate praedicta in ratione triginta marculorum pro quaque missa. Vidit abacum prope altare a parte evangelii, in quo servantur duo apparatus pro missis celebrandis, alterum nigri, alterum vero rubri et albi colorum nec non calicem cum patena et missalia, unum pro vivis, alterum pro defunctis. Ad hoc oratorium accedit processionis ritu haec spectabilis comunitas in die solemnibus sancti Georgii, ad cultum suum offerendum huic sancto martiri, eius protectori. Vidit campanile, in quo sita est unica campanula. Ordinata. Fenestrae huius oratorii refficiantur speris saltem linteis [6] et retia ferrea quae existunt ad ipsas fenestras sarciantur – erigatur sacristia, prout iussum fuit in visitatione anni 1712 intra terminum unius anni ab hac die incipiendum, aliter, eodem termino elapso et non executo praesenti decreto, oratorium ipsum sit suspensum – calix in interiori cupa purgetur, exterius autem auro seu argento liniatur et patena itidem purgetur. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santa Lucia] Visitavit oratorium publicum sub titulo Sanctae Luciae, infra limites parochialis Valedii, de iure monialium et monasterii Sanctae Luciae Veronae nec non familiarum Borola et Marchi, in quarum defectu supplet nunc haec contracta nuncupata Sanctae Luciae; nam ex familia Borolorum nullus in hac contracta habitat et familia Marchi impotens est ad onus manutentionis pro sua parte ferendum, ut assertum fuit. Haec igitur ecclesia providetur et manutinetur a monialibus et a contracta praedictis ex aequa portione; nam moniales praedictae fruuntur aequali portione iuris patronatus duabus partibus quae spectant ad praefatos Marchi et Borola. Haec ipsa ecclesia et domus contigua pro cappellano erecta fuit anno 1595 auctoritate illustrissimi et reverendissimi Alberti Valerii episcopi Veronae et reverendissimi domini Petri Stridonii, eius vicarii generalis, [6^v] in fundo reverendarum monialium Sanctae Luciae Veronae earumdem impensis nec non Petri

Antonii eiusque fratrum et nepotum Borola et Ioannis de Marchis, incolis huius contractae, quae vocabatur Monte Cucoli ac illam dotaverunt praefatae reverendae moniales ac praedicti Borola et Marchi, cum assignatione et donatione quarumdam petiarum terrae descriptarum in instrumento dotis et conventionis diei 15 decembris praedicti anni, in actis Laurentii Paganini notarii de Omnibus Sanctis Veronae, cuius medio declaratum fuit ecclesiam eandem incorporatam remanere ipsi monasterio Sanctae Luciae, resservato tamen iure patronatus eligendi et removendi cappellanum pro tempore pro duobus votis monialibus ipsis, pro duobus aliis praefatis Boroli et Marchi et prout in praecitato instrumento, cui et cetera, infra posito ad litteram A. In eo tria sunt altaria, videlicet: maius, sanctae Luciae virginis et martyris dicatum, in mensa ex muro cum portatili et in coeteris partibus ligneum. In eodem altari extat custodia lignea, in qua vidit servari amygdalam argenteam intus inauratam, quae rite recteque clauditur et ea utitur reverendus dominus Ioannes Baptista Ghedini, cappellanus huius oratorii, ad communicandos pro Viatico infirmos electus ad id ab admodum reverendo domino archipraesbytero, de cuius auctoritate et consensu hoc Sacramentum nec non aliud poenitentiae administrat. [7] Servatur item in eadem custodia sacra reliquia, ex ossibus scilicet sanctae Luciae virginis et martyris, sigillo et litteris patentibus illustrissimi et reverendissimi Basilii Matranga, archiepiscopi Achridensis, in hac curia visa sub die 31 martii 1742, quam ideo recognovit. In hoc altari praefatus reverendus cappellanus fere quotidie celebrat ex elemosynis piorum; nam fructus quos percipit ex paucis agris huic oratorio adnexis non apparent obnoxii missarum oneri, ut assertum etiam fuit. Vidit quatuor fanalia, nec non umbellam pro associando sanctissimo Sacramento ad infirmos. Vidit confessionale portatile ubi excipiuntur confessiones christifidelium de auctoritate ut supra dictum est. Visitavit altare sancti Francisci, ligneum cum portatile, in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, ex ligno et muro confectum cum portatile, in quo itidem nulla est obligatio missarum, sed ex devotione in eo celebratur. Retro altare maius vidit apparamenta et vasa sacra pro celebratione missae, de quibus sufficienter provisum invenit; praedicta apparamenta tamen exposita continuo remanent ad parietes loci retro altare, cum – ut asseruit reverendus cappellanus – si in [7] armario quod est iuxta mensam altaris eiusdem collocentur et claudantur, detrimentum paciantur; quapropter, cum observasset locum ipsum esse perangustum, armarium vetustate confectum et distare a libero aere quo humiditas arceatur, decrevit ut infra in ordinatis. In hac ecclesia peragitur exercitium catechismi diebus festis et ad eam conveniunt hac de causa habitantes in hac contracta. Haec scola dependet a scola doctrinae christianae ecclesiae parochialis Valedii et visitatur a domino archipraesbytero; docetur doctrina nuper edita et adsunt sex circiter magistri et magistra una, sed reverendus cappellanus praedictus ad id opus praecipue incumbit ex commissione peculiari praefati domini archipraesbyteri. Visitantibus hanc ecclesiam in die festo sanctae Luciae fruuntur indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 8 augusti 1742, in hac curia viso die 17 septembris eiusdem anni. Vidit campanile, in quo extat unica campanula. Visitavit etiam domum quam inhabitat antedictus reverendus cappellanus, angustae structurae. Ordinata. Provideatur de velo superhumerali pro deferendo sanctissimo Viatico ad infirmos – obturentur rimulae circum portatile altaris sancti Francisci – erigatur, impensis eorum ad quos spectat, locus aptior pro [8] sacristia ibique paretur decens et tutum armarium in quo custodiri possint et sine detrimento servari sacrae suppellectiles – provideatur de duobus biretis sacerdotalibus – sarciatur tectum tam ecclesiae quam domus reverendi cappellani. His expletis, ad parochialem ecclesiam reversus est. Interea illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, solitis servatis ceremoniis, in praefatam parochialem ecclesiam descendit adoratoque sanctissimo Sacramento, sacerdotalibus indutus sacris vestibus, sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri. Quo absoluto, supra quingentos utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit et supra mille itidem utriusque sexus christifideles sacro Chrismate in fronte linivit. Quibus actis, iam defatigatus in edes parochiales se se restituit et prandium sumpsit. Die antedicta 11 septembris 1747 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus praesul, post prandium et quietem sibi parumper concessam, descendit ad ecclesiam parochialem ubi, congregata schola doctrinae christianae et classibus suo ordine dispositis, inter quas aliquot erant eius scholae quae peragitur in oratorio Sanctae Luciae iisque omnibus et singulis lustratis observatisque, vidit in classibus puerorum adesse singulis suum catalogum in quo

describuntur |8^v| nomina magistrorum et discipulorum et aliquos sacerdotes in iis catalogis esse descriptos, sed plerosque deesse interrogavitque num pueri descripti continuo eant ad easdem classes; cui responsum fuit modo ad hanc modo ad aliam classem illos pro libito discurrere; deinde visitavit classes puellarum, quae distinguuntur a classibus puerorum medio telae extensae per dimidium ecclesiae viditque in quibusdam iisdem adesse praesbyteros qui docent catechismum, in caeteris autem sedere peritiores foeminas quae officium magistrarum exercent, sed in hac parte huius scholae non adhiberi in classibus catalogos; extant priorissa, propriorissa et cancellaria, sed nullus adest portinarius aut classium regulator. Extat apud viros huius scholae catalogus nominum confratrum nec non liber in quo describuntur electiones officialium, quae fiunt semper praesente domino archipraesbytero et eius consensu et apud feminas extat catalogus nominum officialium et magistrarum; officiales autem foeminarum eliguntur a domino archipraesbytero, magistrae vero a priorissa cum consilio propriorissae. Hisce intellectis et observatis, illustrissimus et reverendissimus antistes, dum inviseret classes utriusque partis huius scholae, audivit, summa sui animi consolatione, doctrinam christianam adposite doceri a magistris et attente percipi a discipulis, |9| quos magis ac magis instructos in ea compertus est. Peracta classium visitatione, ascendit tronum in eoque sedens audivit nonnullas puellas recitantes integrum catechismum sibique invicem districte et apte interrogantes et respondentes, quas praemiis donavit. Hisce actis, suam pastoralis animi letitiam gravi sermone declaravit, quem concepit dum progressum puerorum et puellarum in cognitione christianae doctrinae observavit ac deinde hortatus est omnes et singulos ad quos spectat ut piam operam impendant ut sanctum istud institutum in dies magis augeatur; monuit etiam syndicos et reggentes huius spectabilis communitatis nec non operarios huius scholae ut omnem curam impendant ad hoc ut exequantur huius serenissimi domini piis intentiones et aedicta excellentissimorum rappresentantium Veronae, quibus prohibetur ne, tempore quo peragitur opus doctrinae christianae, cauponae aperiantur aut apertae teneantur, recurrentes, quatenus opus sit, ad publicam potestatem. Demum, ut opus tam necessarium ad normam exerceatur regularum a suis praedecessoribus traditarum, haec ordinavit, videlicet vulgari sermone: 1 – Che siano assignati i sacerdoti e chierici di questa parochia alle classi delli uomini e delle donne dal molto reverendo arciprete vicario foraneo, come da lui sarà |9^v| stimato più opportuno e doveranno essi rassegnarsi alle di lui disposizioni, né potranno mutar classe senza di lui speciale licenza. 2 – Doveranno i nomi delli ecclesiastici sudetti essere descritti in un libro particolare, che doverà essere tenuto dal cancelliere della dottrina, come si usa nella città e si doveranno di festa in festa notare dal medesimo cancelliere le loro diligenze o mancanze, affinché si possa rilevare in qualunque volta occorra se attendano al loro ufficio e possano essere corretti dall'autorità episcopale, in caso di disubbidienze alle paterne amonizioni, come sopra fatte, né potrà il signor arciprete o qualunque altro far loro fedì di alcuna sorte se prima non averanno osservato il medesimo libro e rilevata la diligenza o negligenza de medesimi. 3 – Doveranno pure i nomi de confratelli laici essere notati sopra altro libro particolare, perché nelle terze domeniche del mese si notino le diligenze o mancanze loro per la comunione che debbono fare secondo il loro istituto. 4 – Doveranno essere istituiti tanti regolatori delle classi della dottrina degli uomini quanti occorreranno, i quali doveranno essere de più prudenti e di animo più moderato, desiderando che fra di essi ve ne siano alcuni de più esemplari ecclesiastici e loro ufficio sarà andar |10| osservando di classe in classe se li scolari descritti ne rispettivi cataloghi frequentino le classi ad essi destinate et, in caso ritrovassero che questi andassero ad altra classe, doveranno ricondurli alle loro proprie, affinché così vadino aprendendo di grado in grado senza confusione e disordine la dottrina cristiana. 5 – Altri regolatori, uomeni gravi di età e di prudenza come sopra, doveranno essere eletti specialmente dal signor arciprete per le donne che accudiscono al medesimo ufficio verso di queste, come quelli delli uomini. 6 – Doveranno pure nelle classi delle donne esser fatti i loro cataloghi di classe in classe, dove siano descritti i nomi degl'ecclesiastici, delle maestre e delle discepoli. 7 – Siano dal signor arciprete eletti due portinari della qualità de sudetti regolatori, ufficio de quali sia di stare alla porta maggiore, dove entrano et escono le donne et ivi attendere perché non nascano disordini e diano l'aqua santa alle fanciulle tenere et osservino se si segnino col segno della croce. 8 – Sia finalmente eletto un infermiere o due, i quali abbiano a visitare gl'infermi confratelli, giusta le regole generali della dottrina e riferiscano al signor arciprete il loro stato, o

perché faccia egli pregare Iddio per loro, o perché procuri che siano soccorsi con limosine se fossero poveri. [10^v] 9 – Il signor arciprete, che è sopra intendente e, come vicario foraneo, visitatore di questa dottrina, giusta le predette regole, ponga ogni studio che siano eseguite tutte le presenti ordinazioni e le regole generali a cui doveranno star sottoposti gli operarii, tanto ecclesiastici che laici, giusta le stesse regole e giusta la pubblica sovrana intenzione dichiarata con ducali dell'eccelso consiglio di Dieci del dì 23 aprile 1743, nella quale viene ordinata l'esecuzione delle predette regole. Exercitio praefato doctrinae christianae peracto, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus se contulit in eadem schola sanctissimi Sacramenti, sitam in coemeterio ecclesiae parochialis (ecclesiae) ibique iterum sacramentum Confirmationis plurimis confluentibus ministravit. Interea illustrissimus dominus provicarius generalis visitavit altare maius ecclesiae parochialis, quod est consecratum et pertinet ad dominum archipraesbyterum et reverendos clericos huius plebis, sed eius ornamenta et suppellectiles suppedantur et manentur a venerabili societate sanctissimi Sacramenti, quae ad idem altare canonicè instituta existit, prout etiam recognitum fuit in visitatione anni 1712 et constat ex bulla aggregationis diei 12 novembris 1727, cuius executio ab hac curia demandata fuit sub die 18 septembris 1647, ut apparet ex diplomate autentico exhibitio, viso et restituito. [11] Habet haec societas sanctissimi Sacramenti suos redditus ex capitalibus descriptis in policea exhibita et infra posita sub littera A, subscripta a domino Antonio Foron, eiusdem societatis sacrista et praeterea confratrum et piorum eleemosynis iuvatur, ex quibus primum exequentur onera adnexa supradictis capitalibus ex testatorum dispositione, prout describuntur in praecitata policea, atque providetur altari ipsi maiori iuxta societatis eiusdem institutum. Inter onera quae habet societas haec, unum illud est erogandi ducatos viginti in anno pro puellis dotandis huius parociae, quibus tamen a reggentibus societatis non solvuntur nisi ab illis exhibeatur testimonium domini archipraesbyteri de earum bonis vita, moribus et paupertate, super quo testimonio interrogatus dominus archipraesbyter num testari soleat de earumdem frequentia ad doctrinam christianam, respondit hoc non consuevisse se testari, qua propter eundem monuit idem illustrissimus dominus provicarius generalis ut deinceps adiungat hanc attestationem de prefata frequentia, quod etiam fieri oportet quoties testimonia ab ipso sint, vel erunt, facienda de bonis vita et moribus puellarum suae parochiae ad alias gratias assequendas, cum nemo bonus possit censi quando principia religionis christianae [11^v] non caleat. Interrogatus etiam dominus archipraesbyter num a societate praedicta solvantur sacristiae parochiali troni decem pro apparamentis adhibendis in celebratione legati relictis a quondam Dominco Ogheri, prout decretum fuit in visitatione 1712, respondit nunquam huiusmodi solutionum sibi factam fuisse; quod cum intellexerit, interrogavit dominos reggentes huius societatis cur omiserint hanc satisfactionem debitam sacristiae; responderunt ex dispositione praefati reverendi Ogheri non esse celebrandas missas sexaginta ut inuitur in praecitato decreto, sed unum aut plura officia annuatim iuxta vires reddituum capitalium relictorum ab eodem testatore et prout patet ex testamento eiusdem reverendi Ogheri diei 12 ianuarii 1712, in actis domini Antonii Venturini notarii Veronae exhibitio. Viso et restituito; nihilominus non dissentire decretae contributioni, dummodo decernatur aliqua alia contributio assignanda eidem societati pro exactione reddituum aliisque huiusmodi occurrentibus. Quibus intellectis, illustrissimus dominus provicarius generalis decrevit ut exequatur decretum praefatae visitationis 1712, solvendo quot annis sacristiae parochiali libras decem assignavitque insuper libras duodecim, annuatim percipiendas a societate et de causa superius expressa; id vero quod superest impendatur in celebrandis [12] officiis iuxta intensionem eius testatoris et ita et cetera, omni et cetera. Observavit tabernaculum erectum supra hoc altare, ligneum, sculptum et auro linitum et ostium custodiae sanctissimi Sacramenti, quod clauditur porta lignea, non adeo tamen tutum iuxta canonicas sanctiones et edictum nuper publicatum, quo iussum fuit ut duplici ianua clauderetur ideoque hortatus est dominos syndicum et consiliarios huius communitatis nec non reggentes praedictae societatis sanctissimi Sacramenti ut piam intensionem quam ipsimet habent quantocius exequantur construendo altare et tabernaculum marmoreum, quod claudatur duplici ostio et sera; quam exortationem audientes praefati syndicus, consilarii et reggentes promiserunt illam se quam primum executuros. Quibus peractis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum suo illustrissimo provicario generali, in aedes parochiales antedictas reversus incoenatus obdormivit. Die martis

12 mensis septembris 1747. Facto mane, praefatus illustrissimus et reverendissimus praesul in ecclesiam ad munia sua pastoralia obeunda descendit, ubi admonitus quamdam mulierem infirmam eucharistico Pane refici cupientem prope castrum huius loci reperiri, protinus iussit omnia disponi quae ad sanctissimum Sacramentum associandum necessaria sunt et ipsemet, pluviali [12^v] indutus et divino Sacramento una cum apparatis adorato, sacram pixidem accepit et, praecedentibus scholis sancti Rocchi et eiusdem sanctissimi Sacramenti, cappis indutis et candelas accensas gestantibus nec non clero consueta decantante maximaque populi copia subsequente, ad domum infirmae se contulit ipsamque propriis manibus angelorum Pane recreavit atque eodem ordine ad parochialem ecclesiam se restituit ubi, solitis prius persolutis orationibus et benedictione populo frequentissimo impartita, in tabernaculo sacra pixis reposita fuit. Posthaec, sacris sacerdotalibus vestibus sumptis, sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri, quo absoluto actisque Deo optimo maximo gratias, quatuorcentum circiter utriusque sexus christifidelibus sacram Eucharistiam praebeuit et bismille itidem utriusque sexus christifideles sacri olei unctione in fronte signavit. [A margine: Santa Giustina] Dum haec agerentur, illustrissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitandam aediculam ubi est imago sanctae Iustinae virginis et martyris, in marmore sculptam, sed neque altare adest neque est hominum memoria divina officia in ea umquam celebrata sunt, nihilominus ex vetustis imaginibus depictis in eius parietibus aetatis annorum 1385 videtur olim fuisse oratorium et antiquitus in ipso praedicta officia divina celebrata fuisse. Caeterum et muri, tectum et pavementum [13] ab hac spectabili communitate decenter servantur et ianuis tutis clauditur, unde nihil ordinatum fuit. [A margine: San Zeno] Visitavit subinde alteram ediculam seu oratorium sub titulo Sancti Zenonis, quod tectum sertumque servatur a communitate Valedii et ab eadem custoditur, intra limites parochialis eiusdem, in quo extat quaedam forma altaris, quod tamen numquam consecratum fuisse cognoscitur aut in eo portatile adfixum, unde numquam in eo divina officia celebrata; sed, cum in praecedentibus visitationibus enunciatum hoc oratorium suspensum, fortasse videri poterit missas in eo olim celebratas fuisse, quamvis forma altaris praedicti id nullo pacto innuat. Tectum, muri et pavementum ut par est conservantur, prout etiam imagines sacrae depictae in muro super praedictum altare, quae sunt post annum 1500, ut apparet ex earum specie et architecturae forma. Ad ecclesiam parochialem reversus, visitavit altare sancti Martini, in mensa marmoreum cum portatili, in caeteris partibus ligneum cum icone depicto, de iure illorum de Gottardis. Idem altare suam habet dotem ex quatuor capitalibus, quorum primum ducatorum centum viginti, investitum in bonis Thomae Gaburi quondam Dominici huius loci, ut ex instrumento diei secundae septembris 1741, in actis domini Bernardi Bernardi notarii veronensis, pro quo percipitur fructus tronorum 40.18.4. Secundum ducatorum [13^v] centum duodecim cum dimidio, investitum in bonis Antonii della Mora quondam Ioannis Baptistae huius loci, cum instrumento diei 2 septembris 1741, in actis praedictis. Tertium ducatorum quinquaginta quinque cum dimidio, pro quo solvit Sebastianus Gottardi quondam Nicolai de dicto loco tronos 18.18 medio scripturae privatae, ut asseruit dominus Sebastianus Gottardi quondam Iacobi, patronus huius altaris. Quartum ducatorum quinquaginta, pro quo Ioannes Borsa quondam Aloysii huius loci solvit fructum tronorum 15.10, quod capitale relictum fuit a quondam Ioanne Baptista Lonici, cum onere missarum septem in anno, cuius legati commissariam exercet praefatus Gottardi easque celebrat reverendus dominus Silvester Rigo filius quondam Dominici et satisfacit annuatim eidem oneri. Id vero quod superest ex supradictis redditibus impenditur pro manutentione eiusdem altaris et, si quid praeterea est necessarium, fit impensis praeaudati patroni. Vidit idem altare de omnibus provisum et bene tentum et adimpletis ordinationibus factis in postrema visitatione anni 1712 nihilque deesse eius cultui ideoque nihil ordinandum censuit. Altare sanctissimi Nominis Iesu seu sancti Georgii, marmoreum [14] in mensa et gradibus cum portatili, in coeteris partibus ligneum auro linitum, cum icone depicto, de iure communitatis huius loci, a qua altare ipsum edificatum vel restauratum fuit. In eo erecta est societas sub titulo sanctissimi Nominis Iesu, canonice instituta prout recognitum fuit etiam in postrema visitatione anni 1712. Haec societas habet suos redditus, prout constat ex pollicea praesentata a domino Ioanne Francisco Corradini notario, nomine reggentium eiusdem societatis et in fine huius libri posita ad litteram A, in qua describuntur capitalia, fructus et obligationes quae exequentur per reverendum dominum Corradinum Corradini, cappellanum eiusdem

societatis. Suppellectiles quae pertinent ad eandem describuntur in alia pollicea, subscripta ab eodem domino Corradino notario et nomine ut supra, praesentata in fine pariter huius libri posita sub littera A. Observavit executas fuisse ordinationes factas in postrema visitatione, ita ut nihil supersit modo ordinandum, cum omnia decenter ornateque existant. Altare Conceptionis beatae Mariae Virginis, cum portatili et imagine ex ligno sculpta eiusdem Virginis sub crystallis servata, de ratione societatis sub [14] eodem titulo canonice erectae, prout recognitum fuit in visitatione 1712, a qua manutenetur. Altare ipsum de omnibus rite et ornate est provisum. Societas haec possidet quaedam capitalia, prout apparet ex pollicea exhibita, in fine huius libri posita sub littera A, a domino Francisco Gottardi, massario eiusdem societatis, annui redditus tronorum 1581.16, ex capitalibus plurimis descriptis in libro foris inscripto “Libro affitti della Venerabile Compagnia della Concezione di Valezo”, exhibito, viso et restituto, quorum summa est ducatorum 4765 tronorum 3.3.4, praeter annum livellum minalium 4.3.2 siliginis, quam solvit Ioannes Baptista Armani quondam Dominici huius loci. Ex his fructibus satisfit omnibus quibus obnoxia est haec societas ex legatis missarum, prout ex tabella in qua describuntur eadem onera quaeque servatur iuxta idem altare, cuius copia exhibita in fine huius libri ad litteram A posita fuit. Observavit librum foris inscriptum “Cappellania dell’Immacolata Concezione di Valezo”, in quo describuntur onera missarum in tabella enunciata, sed ommittitur descriptio officiorum in eadem tabella praescriptorum. Observavit etiam satisfieri quidem omnibus et singulis praedictis oneribus, sed in libris huius societatis non esse praecise descripta respectiva capitalia, [15] quae spectent ad eadem onera; vidit librum foris incriptum “Librum affitti e Cassa della Compagnia della Concezione per la Commissione del quondam reverendo signor don Giovanni Pachion di Valezo”, in quo describuntur quinque capitalia investita, quorum summa est ducatorum 1207, ex quibus haec societas percipit fructum tronorum 340.17.6 pro adimplendo onere relicto a praefato reverendo Pachioni, in eius testamento diei 30 decembris 1735 a Nativitate Domini, in actis quondam domini Francisci Corradini huius loci, exhibito, viso, lecto et restituto, cum onere tot missarum quot celebrari poterunt cum eleemosina solidorum triginta pro quaque, iuxta illius intentionem, dempto fructu capitalis ducatorum quinquaginta, impendenda pro beneficio eiusdem societatis. Haec igitur societas celebrare facit missas centum per reverendum dominum Corradinum Corradini et alias missas centum per reverendum dominum Sylvestrum Rigo et erogat tronos tercentum pro horum sacerdotum eleemosynis. Id vero quod superest, scilicet troni 40.17.6, assignantur pro sacristia et altaris ornamento ac pro expensis quibus obnoxia est societas in renovandis investituris. Quibus observatis et consideratis, monuit reggentes huius societatis ut in libro Cappellaniarum et coetera describant etiam onera officiorum et satisfactiones eorundem ac diligentia utantur ut [15] cognoscantur capitalia respectiva quibuscumque oneribus praedictis affecta et distincte describantur, ad hoc ut appareat num adhuc omnia supersint capitalia subiecta praedictis oneribus aut, si fortasse deinceps aliqua ex iis perierint, caetera capitalia, quae obnoxia non sunt oneribus capitalium deperditorum, non remaneant gravata alienis oneribus et ut merito reductiones missarum in suis casibus fieri possint. Quoad vero officiatorum Pachioni, solutis eleemosinis missarum ducentarum et percepto a societate fructu capitalis ducatorum quinquaginta, cum remaneant adhuc ex iis fructibus troni 23.16.6, ideo monuit ut vel suppeditentur apparamenta duobus praefatis cappellanis huius officiatorum a sacristia Conceptionis, vel praedicta summa erogetur sacristiae parochialis ecclesiae, quatenus cappellani praedicti summant apparamenta ab hac secunda sacristia et ita et cetera. [A margine: Vide decretum pro officiatorum relicta a quondam Angelo Maria Baronzini in filo “Reductiones Missarum, Legata pia et cetera de anno 1748 die 7 septembris]. Altare beatae Mariae Virginis a Rosario, in mensa et gradibus marmoreum cum portatili, in reliquis partibus ligneum auratum cum icone depicto, circa quem depicta sunt misteria eiusdem rosarii, de ratione societatis sub eodem titulo ad hoc altare canonice institutae, prout etiam recognitum fuit in praecedenti visitatione anni 1712. Societas praedicta habet redditus et onera ut in pollicea [16] exhibita et in fine huius libri posita sub littera A, subscripta a domino Andrea Gandino massario, scilicet: capitalia sunt ducatorum 3405, fructus tronorum 987.8, qui fructus apparent minores quam fuerunt recogniti in visitatione anni 1712 (tunc enim erant troni 7026 circiter), eo quod minoris nunc temporis estimantur fructus censuume et minori censu investiuntur, prout etiam a reggentibus huius societatis assertum fuit. Ex iis fructibus satisfit oneribus descriptis in tabella posita iuxta

idem altare, cuius copia autentica exhibita in fine huius libri ad litteram A est posita et manuteneatur altare ipsum eiusque sacrae suppellectiles. Cappellani passim utuntur apparatus pro missis celebrandis ex armario posito in sacristia, quae est communis eiusdem societatis ac alterum supra laudatae Conceptionis. Cum vero, ex interrogationibus factis et responsionibus auditis, cognovisset confusa esse capitalia subiecta oneribus praedictis, monuit et mandavit ut illa diligenti attentione invicem separentur, ad hoc ut dignoscatur quale capitale respondeat cuicumque obligationi. Dum haec agerentur, comparuit reverendus dominus Ioannes Baptista Bertoni, cappellanus officinae institutae a quondam Angelo Maria Baroncini, prout inuitur in tabella obligationum huius societatis et exposuit eius onus esse [16^v] celebrandi quotidie, diebus festis exceptis, pro praedicta obligatione; cum tamen a venerabili hac societate sibi non erogentur in anno pro missis a se celebratis nisi troni 393 cum sibi deberentur troni 429 (dies enim feriales computantur in anno numero 286 circiter) quare, cum testator iusserit dandam sibi eleemosynam condecemem, domini reggentes eiusdem societatis minorem non possunt erogare quam consuetam triginta solidorum pro quaque missa; quapropter supplicavit umilime ut provideatur ad hoc ut et eestatoris intentio exequatur et congrua eleemosyna sibi erogetur. Qua expositione et supplicatione intellecta, interrogavit dominum Andream Gandini, massarium et capserium dictae societatis ibidem praesentem, cur congruam eleemosynam domini reggentes huius societatis non erogent praedicto reverendo cappellano, qui respondit vires reddituum non suppetere ut et illi huiusmodi eleemosyna erogetur et societati satisfiat pro usu paramentorum et sacristiae necessario ad eandem celebrationem; quin immo et ipse supplicavit ut assignetur congrua portio eidem sacristiae missaeque reducatur ita ut congrua eleemosyna iuxta mentem testatoris praefato reverendo cappellano tradi possit. [17] Quibus auditis, idem illustrissimus dominus provicarius generalis, viso puncto testamenti quondam Angeli Mariae Baroncini diei 9 iulii 1633 in actis domini Francisci Gozzi, notarii huius loci, in copia autentica a praedicto reverendo cappellano exhibito, viso eique postea restituto, quo testator reliquit huic societati ducatos 1350, investitos in bonis Bernardini quondam Petri Bonfadini, cum onere celebrari faciendi perpetuis temporibus singulis diebus ferialibus unam missam iuxta intentionem ibidem expressam, declarando teneri massarios et gubernatores societatis erogare eleemosynam dicto cappellano condecemem, ut possit ipsas missas celebrare. Visis etiam instrumentis et libris societatis eiusdem, ex quibus constat praedictum capitale investitum esse praesenti tempore in bonis, nominum infrascriptorum, videlicet: ducatos 525 in bonis domini Petri Bugna, prout ex instrumento 21 ianuarii 1705 in actis Corradini, pro quibus solvit tronos 164 annuatim; ducatos centum in bonis Georgii Pecini, medio instrumenti diei 2 februarii 1738 in actis praedictis, pro quibus solvit tronos 34.2; ducatos centum in bonis domini Pauli Emilii Camisani, medio instrumenti diei 31 augusti 1738 in actis [17^v] suprascriptis, pro quibus solvuntur troni 34.2 ducatos 150 in bonis Angelae Cariola, ex instrumento diei 9 decembris 1738 in actis praedictis, pro quibus solvuntur troni 46.10 et ducatos 175 in bonis Gasparis Vanon, ex instrumento diei 11 maii 1739 in actis suprascriptis, pro quibus solvit tronos 59.13.6. Quae quatuor posteriora capitalia sunt loco ducatorum 525, quos affrancavit dominus Ioannes Baptista Bugna, cum instrumento diei 30 ianuarii 1738 in actis praedictis. Item ducatos 100, investitos in bonis Caroli Tosi, cum instrumento diei 8 ianuarii 1727 in actis praedictis, pro quibus solvit tronos 34.2; ducatos centum in bonis Valentini et Pauli fratrum Pasquali, cum instrumento diei 14 februarii 1746 in actis praedictis, pro quibus solvunt tronos 34.2. Ac demum ducatos centum in bonis Gasparis Zendrin medio instrumenti diei 23 septembris 1737 in actis praedictis, pro quibus solvit tronos 31. Quae tria capitalia successerunt capitali ducatorum tercentum, quos affrancavit Bernardinus Bonfadin, cum instrumento 4 octobris 1654 in actis Marini Zamboni notarii Montiambani, prout constat ex eodem instrumento et ex libro affictualium eiusdem societatis, quae incipit ab anno 1679 folio 39.68.86.87.128. Ex quibus omnibus capitalibus, ut supra investitis, nunc temporis haec societas percipit summam fructus tronorum 437.11.6. [18] Quibus visis et mature consideratis, decrevit ut numerus missarum ferialium reducatur prout eundem reduxit ad ducentas sexaginta quot annis celebrandas, pro quibus erogetur cappellano eleemosyna tronorum 389.11.6, assignatis pro ceris et apparatus sacristiae huius societatis tronis quadraginta octo, quotannis percipiendis ex iisdem redditibus et ita et cetera omni et cetera. Quibus expletis, ad edes parochiales regressus quieti indulset et prandium sumpsit. Die antedicta a prandio 12

septembris 1747. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus rhedam suam conscendit cum suo comitatu, visitaturus oratorium publicum Sancti Marci [a margine: San Marco del Borghetto], positum in loco Burghetti Valedii, infra limites ecclesiae parochialis Valedii praedicti, a qua distat vix ultra dimidium miliarii, quod est immediate sub cura admodum reverendi domini archipraesbyteri eiusdem plebis Sancti Petri; quo facili via perventus et ex rheda descensus, aspergillo recepto e manibus admodum reverendi archipraesbyteri Valedii superpelliceo et stolla induti, se signavit et populum in ecclesia existentem aspersit aqua lustrali. Deinde ante altare maius genuflexus, oravit ac pueros, puellas et operarios doctrinae christianae ibidem congregatos per varias interrogationes circa misteria principaliora [18v] aliaque ad aeternam salutem neccessaria, eisdem factas ex eius commissione, expertus est ac ipsos bene instructos esse cognovit, assistente semper praedicto reverendo archipraesbytero Valedii. Visitavit subinde altare maius, ex muro in mensa cum portatili, in gradibus ligneum, super quos nihil aliud extat nisi crux cum crucifixo et candelabra. In hoc altari reverendus dominus Franciscus Cappa, sacerdos de Montiambano, cappellanus ellectus ab hac communitate Burghetti, missas celebrat praesertim diebus festis et semel in hebdomada, iuxta piam intentionem eiusdem communitatis, a qua stipem recipit tronorum 320. Hic cappellanus est amovibilis et eidem ab admodum reverendo archipresbytero cura est delegata animarum ad eius nutum pariter amovibiliter, sicut de eius consensu et voluntate ipsam administrat. In hoc oratorio nullum aliud servatur sacramentum, nisi oleum infirmorum in vasculo stanneo, quod visitavit beneque servatum invenit. Vidit amygdalam argenteam intus inauratam, qua defertur Viaticum infirmis quoties occasio permittit ut idem reverendus cappellanus in eius missa possit particulam consecrare; alias defertur idem Viaticum ab ecclesia parochiali plebana. Vidit etiam umbellam et quatuor fanalia latea, vellum [19] superhumerales pro deferendo eodem divino Sacramento occasione superius expressa. Interrogatus dominus archipraesbyter num alia sint vasa sacra pro sanctissima Eucharistia, respondit audivisse comparatam nuper fuisse pixidem, sed se nescire qualis sit eius usus. Interrogatus deinde idem dominus archipraesbyter num ipse licentiam concesserit adhibendi ipsam pixidem, respondit numquam talem licentiam vel sibi quaesitam fuisse vel a se concessam. Interrogatus reverendus Cappa cappellanus cur haec pixis comparata fuerit et an illam aliquando adhibuerit, respondit nuper comparatam fuisse ut ea ipsa ad communicandum infra missam quoties numerosus populus accedit ad communionem; illam vero tantummodo semel adhibuisse. Quibus intellectis habitisque informationibus, quibus etiam cognovit numquam fuisse tabernaculum in hoc oratorio pro custodiendo sanctissimo Sacramento, sicut nullum modo extare vidit, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit prohibendo eidem cappellano eiusque successoribus et cuilibet alio sacerdoti, sub pena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, ne ullo pacto vel praetextu utantur hac pixide vel altera et, quatenus opus fuerit pro communicando numeroso populo, recuratur ad admodum [19] reverendum dominum archipraesbyterum, ad quem solum de iure spectat in hac parochia et in omnibus locis eiusdem administratio sacramentorum, ut etiam tridentinum Concilium declaravit, ut ipse provideat etiam pixidem concedendo toties quoties ipsi opportunum videbitur. Altare beatae Virginis Mariae, vulgo nuncupata *dall'Ara della Mason*, in quo collitur imago eiusdem beatae Virginis antiquitus in muro depicta, sub crystallis servata, cui populus devote accedit vel ut veneretur Virginem ipsam Mariam vel impetret eius patrocinium. Hoc idem altare est marmoreum cum portatili, de ratione communitatis huius loci Burghetti et ab eadem de omnibus manutenetur et habet suos redditus ut in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram A, quibus provideur altare de suppellectilibus neccessariis. Eleemosynae quoque colliguntur oblatae huic ipsi altari, quibus omnibus diebus sabbathi celebratur missa pro benefactoribus; nihil deest huic altari pro eius cultu et ornamento. Super gradus mensae eiusdem altaris assurgit custodia marmorea viginti ab hinc diebus constructa, in cuius ostio haec adest descriptio “Reliquia beatae Mariae Virginis”; quo aperto, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus vidit et visitavit reliquiam ex sacro [20] velo eiusdem beatae Virginis Mariae, in parva theca argentea ovalis formae, crystallo ab utraque parte munita, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Basillii Matranga, archipraesbyteri achridensis, in hac curia visa die 14 augusti 1743, quam authenticam recognoscens, ipsam qua decet reverentia coluit et deveneratus est. Interrogatus reverendus Cappa cappellanus num hac custodia ipsa vel alius sacerdos utatur pro usu servandi

et custodiendi sanctissimum Sacramentum, respondit non adhibitam eam fuisse neque intendere illam adhibere nisi pro custodienda ipsa reliquia. Quibus auditis, illustrissimus et reverendissimus praesul monuit admodum reverendum archipraesbyterum praesentem et ipsum reverendum Cappane utrumque utantur pro custodiendo Sacramento hac ipsa custodia, cum necesse sit specialis licentia sanctae Sedis apostolicae vel in suis casibus specialis licentia episcopalis idque sub pena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, tam quoad ipsos dominos archipraesbyterum et cappellanum, quam quoad quoscumque alios sacerdotes. Altare beatae Virginis Mariae a Nive nuncupata, in mensa ex muro cum portatili et gradibus ligneum cum imagine eiusdem beatae Virginis, ex ligno sculpta, quod erectum fuit a familia Busetta et dotatum beneficio simplici seu cappellania a quodam Thoma Busetti, eius testamento diei 17 iunii 1488 in actis quondam Francisci [20] Nichesola, cum onere missarum quinque in hebdomada, prout descriptum est in visitatione 1670; nunc vero cappellanus huius beneficii est reverendus Caietanus Luppi veronensis, institutus cum bullis diei 10 iunii 1735, pro quo supplet reverendus dominus Dominicus Tovetti Valedii, celebrando unam tantum missam omnibus diebus festis et percipit stipem ex duobus affictualibus, scilicet a nobili domino comite Ascanio Maffeo tronos 80 et ab Antonio Gandino de Montiambano tronos 85.5 nec non fructus cuiusdam agri conducti per Dominicum Leoni, pro quo solvit tronos 8 de affictu temporali. Interrogatus reverendus Zanetti, cappellanus, num constet de diminutione capitalium vel reddituum relictorum a testatore suprascripto et de canonica reductione oneris praedicti, respondit id nihil sibi constare; quapropter decrevit monendum esse reverendum retorem huius beneficii ut doceat de praefata diminutione et respective reductione, ad hoc ut, quatenus opus sit, provideatur, praesertim cum in postrema visitatione anni 1712 assertum fuerit missas reductas canonice fuisse ad numerum 126. Vidit portatile huius altaris et observavit eius sepulcrum fractum; caeterum altare ipsum satis provisum est, nam defectui patronorum qui [21] sunt – ut assertum fuit – nobiles domini reverendus Albertus et Franciscus fratres de Nichesolis; supplet populus iste ex spontaneis piisque eius oblationibus. Altare sancti Antonii, ex muro cum portatili et icone depicto, de ratione familiae Borghetti, a qua tamen non manutenetur, sed eius defectui populus ex suis eleemosynis supplet; nihil deest eius cultui iuxta sacros ritus. In eo nulla est obligatio missarum – ut assertum fuit – sed in eo celebratur ex devotione. In hoc oratorio instituta fuit officiantura ex testamento quondam Antonii Pecini quondam Ioannis Baptistae diei 25 octobris 1737 in actis Corradini et ex capitalibus ducatorum 1640 ex quibus ducati 400 subiacent usufructui Iacobae Tabarini, eius uxoris, donec vixerit et testatoris intentio fuit ut ex fructibus eorundem capitalium tot missae celebrentur; nunc vero, cum percipiat fructus tantummodo ex ducatis 1240, commissarii huius piaae dispositionis, qui sunt Marcus Guerra et Iacobus Guerra, celebrare faciunt duas missas feriales in hebdomada et alias omnibus diebus festis et id quod superest ex fructibus praedictis assignatum remanet pro sacristia et pro exigendis fructibus eisdem et prout in policea a domino Ioanne Francisco Corradini notario exhibita et in fine huius libri posita ad litteram A. [21] Vidit duo confessionalia in quibus, de licentia domini archipraesbyteri Valedii, excipiuntur sacramentales utriusque sexus christifidelium confessiones. Vidit chorum nec non locum sacristiae, prope praedictum chorum et in eo armarium in quo servantur suppellectiles pro missa celebranda viditque etiam ac observavit sacras ipsas suppellectiles descriptas in inventario exhibito et in fine huius libri posito ad litteram A, quas vidit, ad sacrorum rituum formam ornate etiam confectas. Vidit coemeterium circum ecclesiam a parte evangelii et retro chorum oravitque in eo pro defunctis. Visitavit totam ecclesiam, quae ab eadem communitate manutenetur et nihil deest eius cultui iuxta sacros ritus. Duae campanae servantur in turri prope ecclesiam eaeque a communitate manutenentur. Dominus cappellanus habet aedes ubi habitat, quae sunt de ratione altaris beatae Mariae Virginis *dell'Ara*, eidem cappellano a communitate concessae, a qua administrantur redditus et eleemosynae oblatae praedicto altari, quae edes sitae sunt trans Mintium, distantes ab oratorio, ita ut istud nullum habeat contiguum custodem. Ordinata. Suspenditur altare beatae Virginis a Nive donec provideatur de [22] novo portatili ad mensuram canonicam et interim missae quae in eadem altari essent celebrandae celebrentur ad altare beatae Virginis de Ara – provideatur in sacristia de labro et manutergio, semper mundo servando, pro abluendis et abstergendis celebrantium manibus – herbae e cemeterio eradantur, comburantur, illarumque cineres in eodem coemeterio spargantur. [A marigine: San Rocco]. Post haec visitavit oratorium publicum sub titulo Sancti Rocchi, infra

limites parochialis ecclesiae Valedii, de iure communitatis Valedii praedicti, in cuius limine populum aqua lustrali aspersit factaque in eo oratione: tria vidit altaria, quorum maius sancto Roccho dicatum, marmoreum in mensa cum portatili et imaginibus ex ligno sculptis beatae Virginis ac sanctorum Rocchi et Sebastiani. In hoc altari nulla adest obligatio missarum, ut fuit assertum, sed in eo celebratur omnibus diebus festis et quater in hebdomada die feriali per reverendum dominum Iacobum Gottardi, cappellanum electum ab hac communitate ex piorum eleemosynis, quae colliguntur ab eodem cappellano, una cum deputatis ab ipsa communitate. Altare beatae Virginis Mariae, marmoreum cum portatili; quod sancti Rocchi etiam nuncupatur, cum icone depicto, de iure societatis eiusdem sancti Rocchi canonice erectae, ut apparet ex summario indulgentiarum diei 4 [22^v] aprilis 1642, subscripto a reverendissimo domino Lauro Arigonio, vicario episcopali, edito Veronae typis Merulo. Dominus Franciscus Maria Bernardi, prior huius societatis, exhibuit et ostendit saccum seu vestem albam cum cingulo et cappuccio, quo confratres huius societatis utuntur. Confratres ipsi conveniunt omnibus diebus festis ad chorum retro altare maius, quod vidit et visitavit, ad recitandum officium beatae Virginis aliaque orationes iuxta eorum institutum. Conveniunt etiam ad processiones quae fieri solent ex ecclesia parochiali. Eorum impensis, ut superius declaratum fuit, fit in hoc oratorio expositio quadraginta Horarum iis diebus supra descriptis, ubi confratres vicissim adorant idem Sacramentum expositum. Praefatus dominus prior per dictum dominum cappellanum ostendit sacras reliquias sanctorum Sebastiani martyris et Rocchi confessoris, cum sigillo et litteris huius curiae diei 8 februarii 1746, quae omnia intacta vidit et, recognoscens reliquias ipsas, veneratus est. Altare sancti Antonii patavini, marmoreum cum portatili et icone depicto, de ratione nobilis familiae comitum Maffeorum, a qua manutinetur. In hoc altari est obligatio missarum trium in hebdomada, quas celebrat reverendus dominus Antonius Ogheri, et stipem percipit ducatorum 40 ab ipsis dominis comitibus. [23] Vidit et visitavit sacristiam parvam prope hoc ipsum altare, in qua suppellectiles sacrae servantur pro missa in eodem altare celebranda, in armario apte clauso, quas observavit et decentes invenit. Vidit alteram sacristiam in cornu evangelii altaris maioris, de iure communitatis et in ea armarium in quo servantur apparamenta et vasa sacra ad missae celebrationem necessaria, de quibus sufficienter est provisum. Ordinata. Altari maiori fiat novum antipectile variorum colorum, iuxta ritus ecclesiae, cum cruce in eius medio – idem altare provideatur de novis tabellis et de pulvinaribus decentioribus – super altare sancti Antonii ponatur nova umbella quae detegat mensam altaris, et sacerdotem celebrantem – altare istud provideatur de pulvinaribus novis decentioribus. His actis, ad aedes parochiales restitutus, quieti primum, deinde somno incoenatus indulsit. Die mercurii 13 septembris 1747. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam parochialem saepedictam descendit adoratoque divino Sacramento, sacerdotalibus indutus vestibus sacrum fecit, quo absoluto, quingentis circiter utriusque sexus christifidelibus [23^v] celestem Panem praebuit et octingentos pariter utriusque sexus christifideles sacro Chrismate in fronte perunxit. Depositis sacris indumentis actisque Deo optimo maximo gratiis, visitavit sacristiam dominorum admodum reverendi archipraesbyteri et clericorum huius plebis, quae sita est a parte laterali chori in cornu evangelii viditque in ea armaria in quibus servantur suppellectiles sacrae ad missas celebrandas, quas visitavit easque vidit alias spectare ad praefatos dominos archipraesbyterum et clericos, alias vero ad societatem sanctissimi Sacramenti, cuius est armarium in medio huius sacristiae positum. Harum suppellectilium series respective describitur in polliceis ut supra praesentatis ab admodum reverendo domino archipraesbytero et a domino Antonio Dara, massario societatis praedictae illasque decentes et ornatas vidit. Visitavit alium locum sacristiae, positum e regione sacristiae parochialis et a parte epistolae chori praedicti. In hoc loco duo armaria existunt, in quorum altero servantur sacrae suppellectiles societatis Rosarii, in altero illae quae spectant ad societatem Conceptionis. Suppellectiles utriusque societatis vidit et visitavit, quas prospexit decenti et ornata forma confectas easque descriptas esse cognovit in inventario exhibito et in fine huius libri posito sub littera A nihilque deesse comperuit. [24] Visitavit post haec sacramentum Christo Domino dicatum a confratribus societatis Sacramenti, in qua extat forma altaris sed, cum ipsa auctoritate episcopali non sit erecta in oratorium, in ea missae et divina officia non celebrantur. Societas praedicta est eadem quae instituta fuit ad altare maius ecclesiae parochialis de qua supra et confratres eius, qui sunt centum viginti

circiter, induunt cappam rubeam cinctam et cappucium, ex facultate ipsis concessa a praedecessore Barbado die 16 septembris 1713, ut constat ex eiusdem diplomate exhibito, viso et restituto, quo etiam approbantur capitula tunc temporis facta pro recto exercitio eiusdem societatis et praestant obsequium erga sanctissimum Sacramentum, prout superius declaratum fuit. Huc conveniunt diebus festis ad recitandam coronam Domini aliisque precibus ex eorum instituto persolvendis. In hac aede adest sepulcrum pro confratribus, super quod pro iisdem defunctis oravit. Hisce actis, iterum aliquot utriusque sexus christifideles sacro Chrismate in fronte signavit. Quibus expletis, in aedes parochiales se se recepit et prandium sumpsit. Die antedicta 13 septembris 1747 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in cubiculo domus parochialis, [24^v] una cum reverendissimo domino provicario suo generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: domini syndicus, consilarii alique principales huius comunitatis, qui interrogati de vita, moribus et diligentia in proprio ministerio tam admodum reverendi archipraesbyteri et reverendi coadiutoris quam aliorum sacerdotum et clericorum et an adsint in hac paroecia usurarii, haeretici vel de haeresi suspecti, adulteri aut alii publici peccatores, responderunt dominum archipraesbyterum attente ac religiose curam animarum exercere nullique sui muneris parti deesse eiusque vitam piam et irreprehensibilem esse; sacerdotes autem nullum malum exemplum praebere nullaque in hac paroecia adesse publica scandala vel publicos peccatores. Vocatus subinde comparuit admodum reverendus dominus Donatus Libera, archipraesbyter huius plebis, qui obtulit libros curae animarum, matrimoniorum scilicet, baptizatorum et mortuorum; ostendit pariter bullas huius beneficii, quod obtinuit per concursum, datas die 22 decembris 1740; est vicarius foraneus in hac parte, cum opportunis facultatibus. Vidit et observavit libros supra descriptos et ordinavit ut infra in ordinatis. Fuit etiam interrogatus de vita et moribus sacerdotum [25] et clericorum huius ecclesiae et an adsint in hac paroecia publici peccatores; respondit bene quoad omnes. Reverendus dominus Augustinus Fiorio, sacerdos coadiutor in cura animarum huius loci, uti rector perpetui beneficii ecclesiastici sub titulo quinque portionum, in hac plebe eidem collati cum bullis episcopalibus diei 22 aprilis 1717, quas ostendit. Reverendus dominus Laurentius Lizzari, sacerdos annorum 68, confessarius cum mandato ad curam animarum, ad annum confirmato die 12 mensis iulii 1747. Se contulit deinde cum suo comitatu ad visitandum oratorium privatum nobilium dominorum comitum Caroli Iulii et fratris de Maffeis, in eorum aedibus infra limites parochialis Valedii, auctoritate apostolica – ut assertum fuit – constructum, in quo extat altare cum portatili et adsunt sacrae suppellectiles celebrationi missae convenientes nihilque deesse, immo ab omnibus domesticis usibus liberum esse cognovit. Hisce expletis, ad praefatas aedes reversus, in proprio cubiculo se se recepit, quieti indulisit et absque cibo somno se dedit. Die iovis mane 14 mensis septembris 1747. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, omnibus in ecclesia saepedicta paratis, in eadem venit et, ante divinum Sacramentum stratus, oravit et, sacris subinde apparamentis [25^v] vestitus, sacrum fecit et nonnullos utriusque sexus christifideles communicavit. Dimissis sacerdotalibus indumentis et sumptis pontificalibus, inter musicalium instrumentorum concentus et bellicorum strepitus, solemnem missam pontificali ritu concelebravit; qua absoluta, supra centum utriusque sexus christifidelibus Confirmationis sacramentum ministravit. Quibus peractis, hora iam properata, in edibus parochialibus diversatus est, prandium sumpsit. Die antedicta 14 septembris 1747 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum suo illustrissimo domino provicario generali, in proprio cubiculo pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Iacobus Mora, simplex sacerdos annorum 77 circiter. Reverendus dominus Iacobus Gottardi annorum 47, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 13 iulii 1747. Reverendus dominus Ioannes Baptista Ghedini, sacerdos annorum 42, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 23 decembris 1746. Reverendus dominus Bernardus Ogheri, sacerdos annorum 35, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 4 augusti 1747. Reverendus dominus Antonius Cavazzini, sacerdos annorum 42 circiter. [26] Reverendus dominus Antonius Ogheri, sacerdos annorum 35, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 31 mensis martii 1747. Reverendus dominus Dominicus Zovetti, sacerdos annorum 35 circiter. Reverendus dominus Corradinus Corradini, sacerdos

annorum 34 circiter. Reverendus dominus Andreas Rigo, sacerdos annorum 34, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 23 ianuarii 1747. Reverendus dominus Bernardinus Bernardi, sacerdos annorum 34 circiter. Reverendus dominus Petrus Paini, sacerdos annorum 32 circiter. Reverendus dominus Paschalis Signori, sacerdos annorum 31 circiter. Reverendus dominus Iacobus Gozzi, sacerdos annorum 30 circiter. Reverendus dominus Ioannes Lizzari, sacerdos annorum 28, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 12 novembris 1746. Reverendus dominus Bartholomaeus Podestà, sacerdos annorum 26, cum mandato pro cura animarum, ad annum dato die 25 maii 1747. Reverendus dominus Ioannes Borsa, sacerdos annorum 25 circiter. Reverendus dominus Antonius Dara, sacerdos annorum 24 circiter. Reverendus dominus Franciscus Cappa, sacerdos cappellanus Burghetti annorum 40, cum mandato pro cura animarum, ad annum dato et confirmato die 11 augusti 1747. Reverendus dominus Dominicus Guerra, sacerdos annorum 25 circiter. Reverendus dominus Franciscus Bernardi, sacerdos annorum 28 circiter. [26'] Venerandus clericus Hieronymus Gozi, diaconus annorum 23 circiter. Venerandus clericus Petrus Polizzer, subdiaconus annorum 22 circiter. Georgius Mazzi, habitum clericalem gestans, annorum 21. Qui omnes eorum mandata ordinum et respective ad curam animarum debito cum obsequio obtulerunt. Subinde comparuerunt: Annunciata relicta quondam Andreae Zanetti; Vienna uxor Benedicti Ghedini; Dominica relicta quondam Iacobi Scachi; Angela relicta quondam Marci Quinto et Dorothea uxor Bartholomaei Furata, omnes obstetrices huius loci, quae examinatae iuxta formam baptismi in casu necessitatis conferendi et se se edoctas esse ostenderunt. Altera adest in hac parocchia obstetrix, quae cum esset infirma non potuit comparere; attamen dominus archipraesbyter fassus est ipsam bene calere forma conferendi baptismum in casibus necessitatis. Quibus peractis, quieti indulget et incenatus quievit. Die veneris mane 15 septembris 1747. Illustrissimus et reverendissimus praesul, in iam dictam parochialem ecclesiam descensus et ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum stratus, oravit sumptisque sacerdotalibus indumentis, sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri et aliquibus christifidelibus eucharisticum Panem erogavit. Dimissis [27] sacris vestibus, pastoralis visitationi incumbens visitavit campanile, pulpitem, organum totamque ecclesiam. Haec ecclesia Deo nomine sancti Petri apostolorum principi dicata est riteque consecrata, cuius consecrationis anniversaria dies celebratur tertiadecima mensis novembris. In ea extat beneficium, cum onere coadiuvandi in cura animarum, quod possidet reverendus dominus Augustinus Fiorius, ut supra dictum est, a quo debitum obsequium domino archipraesbytero praestatur, curam animarum ex eius voluntate exercendo. Haec plebs suos redditus ita dividit ut eorum tertia pars sit domini archipraesbyteri, aliae duae tertiae partes addictae sint triginta duobus portionibus clericatus nuncupatis, quarum tamen quinque possidet praefatus reverendus coadiutor. Redditus eiusdem plebis obnoxii sunt manutentioni cappellae maioris et altaris itidem maioris, sacristiae parochialis, domus parochialis et domus reverendi coadiutoris et dominus archipraesbyter concurret ex tertia parte; reliquae portiones concurrunt ex aliis partibus tertiis; reliqua vero ecclesia in omni eius parte manutinetur ab hac spectabili communitate nec non organum, baptisterium, pulpitem, confessionalia et reliqua in ea existentia, exceptis altaribus quae spectant ad rationem illorum de quibus supra mentio facta est. Item campanile et [27'] campanae omnes ab eadem communitate manutinentur. Haec communitas eligit concionatores tam pro tempore Quadragesimae quam Adventus et ab eadem stipem accipiunt concionatores ipsi, qui munus suum exercent ex mandato episcopali. Visitavit aedes parochiales atque aedes reverendi coadiutoris omnibusque hisce observatis, nihil ordinandum cognovit, cum omnia rite apteque existant. Exposuit admodum reverendus dominus archipraesbyter sub die 11 iulii 1742 a sua illustrissima et reverendissima dominatione decretum fuisse commissariam quondam Liberae Bertolini a se esse assumendam, ad hoc ut, ex fructibus petiae terrae relictae ab eadem Libera in eius testamento 2 novembris 1721, tot missae celebrentur in hac parochiali ecclesia quot celebrari poterunt et viribus eorumdem fructuum. Cum vero nunc temporis ipsa petia terrae sit meliorata et vendi possit et debeat etiam cum utilitate eiusdem commissariae, humiliter supplicavit ut id sibi concedatur et valor investiat ad effectum executionis praefatae commissariae et decreti praecitati, cui et cetera et ita et cetera. Quapropter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, viso decreto praedicto iussisque aliis videndis et consideratis considerandis, supplicationibus praedictis benigne annuendo, ut fundus relictus a praedicta

Libera Bertolini, servatis servandis, maius praetium in [28] substatione offerenti vendi possit et valeat concessit et indulgit et ita et cetera, omni et cetera. Hisce peractis, prandium paratum sumpsit. Die antedicta 15 septembris 1747 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, habitu itinerario vestitus, una cum illustrissimo domino provicario suo generali, ecclesiam parochialem antedictam adivit adoratoque in ea sanctissimo Sacramento, in faldistorio sedit iussitque mihi notario publicari decretum suum tenoris infrascripti, videlicet. Decretum. Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, dilectis nobis in Christo admodum reverendo domino archipraesbytero et universo clero venerabilis plebis atque vicariae foranae Valedii veronensis diaecesis salutem in Domino et obedientiam. Hanc vineae nobis a supremo divinoque Patre familias commissae partem visitaturi accessimus, ut quis esset cultus, quos fructus ipsa produceret praesentes cognosceremus, bonum quoque semem sereremus ac plantarem, si quid deesset vivisque demum aquis eam rigarem, Deum ipsi opportunum incrementum daturum sperantes. Dum vero pro viribus haec a nobis peraguntur, illius quidem [28v] terram bonam esse experti sumus, ut centuplum fructum hisce nostris visitationis diebus colligere licuerit. Alios enim praemisimus ex clero nostro saeculari operarios qui viam Domino, suam gratiam per nostrum ministerium largituro, huic plebi pararent rectasque facerent semitas eius. Nos vero semel et iterum populum hunc in concione hortati sumus ut et dignos facerent poenitentiae fructus et sacramenta immaculato corde susciperent et in sanctis operibus continuam vitam agerent, a malo declinantes et bonum ex animi charitate facientes. Hisce auditis, nullus fuit qui non paruerit, ut cor nostrum suprabundaret gaudio, cum omnia in caritate fieri atque quascumque incolas huius loci, ut decet filios adoptionis, ad Deum Patrem ex animo accessisse eiusque dilectioni adhaerere videremus. Utinam vero nobis hinc discedentibus idem huius vineae fructus perseveret! Timendum quippe est ne inimicus homo, qui veluti leo rugiens circuit quaerens quem devoret, zizaniam in hoc ipso agro superseminet. At ne fortasse id accidat, praecipuus iste a nobis iamdudum missus agricola admodum reverendus dominus archipraesbyter Donatus Libera, solerti quidem piaque cura vigilabit, eius enim prudentiam atque christianam simplicitatem, zelum etiam ac religionem cognoscimus. Sed nisi aliorum sacerdotum, [29] qui per manuum nostrarum impositionem eius ministerio adiunximus, vigilantia adiuvetur ac nisi ipsi Christi bonus odor sint eorumque bona opera populus videat quibus aedificetur, fructus ipse quantocius peribit ipsiusque sollicitudo parochi erit inutilis. Hinc illiciti lusus et comessationes, turpe otium, profana verba et quidquid in hac plebe repraehensibile fortasse videbatur, ita succedet ut novissima futura sint peiora prioribus. Qua de re vos, sacerdotes ministri Christi, sacramentorum dispensatores, huic ecclesiae parochiali addicti, hortamur obtestamurque ut tamquam lapides vivi sitis quibus domus haec spiritualis aedificetur. Nulla sit vobis consensio cum hoc saeculo, qui inimicus Dei est, cum in sortem Domini vocati fuistis. Vos estis gens sancta: nihil ergo agatis oportet quod sanctam et immaculatam religionem non praeseferat. Nolite, carissimi, Deo mancipati, implicari vos in negotiis saecularibus. Abiecistis saeculi pompas, cum ipsos capitis capillos comamque amputandam obtulistis: cur saeculi vestibibus et vanis atque ab ecclesia proscriptis coloribus gaudebitis? Sobrii estote et vigilate, abhorrentes a compotatorum illicita conversatione ac praesertim publicas tabernas fugientes; non enim venter vester vobis est deus sed, cum sitis discipuli Christi, in [29v] ieiunio et oratione illud demoniorum genus, quod plerumque animas vexat, eicere debetis. Monemus etiam atque etiam ut a profanis lusibus, qui sacrorum etiam canonum et constitutionum nostrarum auctoritate proscripti fuere, omnino abstineatis. In iis enim iuramenta contentionesque pergraves audiuntur, avaritia – quae est omnium malorum radix – fovetur, spiritus malignus praesens interest, furor, concivia, iacturae aliaque innumera mala et irreparabilia in populo scandala excitantur. Intentos vos esse decet orationi et verbi Dei ministerio, conscientia bona atque pia meditatione parata, sacrificium Deo offerentes, ut sitis inter ipsum ac populum mediatores, non quaerentes ex turpi lucro quae vestra sunt, sed fervore spiritus vestri quae sunt Iesu Christi. Sacros ab ecclesia institutos ritus solerti attentione servate et gregoriano cantu in sacris functionibus utimini; maledictus enim is est qui Dei opus negligenter peragit. Sacros libros diuturna nocturna manu volvite et erudimini qui alios iudicatis, ut lepram a lepra distinguere, quod sacerdotum praecipuum munus est, valeatis. Vae siquidem caecis qui caecis

ductum praebent, cum utrique in foveam incident. Cavete ne districtam Deo rationem reddituri sitis, si christianam doctrinam populo non tradideritis panemque, negligentia torpentes, [30] parvulis non fregeritis petentibus; a vobis enim vestrisque labiis populus legem requirit. Eia igitur, fratres carissimi, agite, monitis quae vobis, hortantes et in Domino obsecrantes, dedimus, acquiescite. Vobis divinitus cor docile concessum experti sumus; vix ergo timendum ne sit inter vos aliquis qui, veluti filius perditionis, sui amantissimi parentis ac pastoris desideria et suasiones negligat aut contemnat. At si quis – ut par est – monitis nostris huiusmodi non paruerit, poenis canonicis ac etiam suspensionis a divinis ipsum subiectum futurum admonemus et edicimus; si vero eo lusu luserit quem vulgo *la Bassetta* aut *Faraone* vel alio nomine vocant, ipsum nunc pro tunc suspendimus et ipso facto suspensum declaramus. Hoc demum superest, ut oremus et deprecemur ut Deus Spiritum suum bonum et habitum religionis in vobis perpetuo servet et corda vestra, a quibusvis mundi impedimentis atque desideriis secularibus custodiat Spiritusque sapientiae et pietatis, fortitudinis et timoris Dei super vos ipsos requiescat, quo pax et gaudium in hac plebe perseveret. In quorum fidem et cetera. Datum ex pastoralis nostrae visitatione plebis Valedii hac die 15 septembris 1747. Ioannes episcopus veronensis. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis notarius et cetera. [30^v] Quo publicato, iterum ante sanctissimum Sacramentum genuflexus, preces fudit, pro defunctis oravit et visitationem parochialis ecclesiae, cleri ac populi huius loci Valedii, praemissis infrascriptis ordinationibus, in nomine Domini absolvit. Ordinata. Eradantur herbae e coemeterio, comburantur illarumque cineres in eodem coemeterio spargantur et continuo eadem herbae abrasae teneantur – ossa mortuorum inhumata illico sepellantur in coemeterio – immunditiae tollantur ex eodem coemeterio et prohibetur ne imposterum ibidem egerantur – construatur in ecclesia sepulcrum pro humandis infantulum cadaveribus – argento liniatur operculum parvae pixidis – cooperiatur ciborium fontis baptismalis aliquo operimento, quod non sit ex mero lino, sed textum sit vel ex serico vel lana coloris violacei – calix qui habet pedem ex auricalco et patenam cupream ac pertinet dominis archipraesbytero et clericis suspenditur et mandatur ut inauretur pes et patena ipsa nec non cupa interior – Quamprimum fieri poterit provideatur de integro apparamento pro sacerdote, diacono et subdiacono nec non [31] de pluviali nigri coloris – missali societatis sanctissimi Sacramenti addantur missae recentiores sanctorum et ab ea provideatur de apparamentis violaceo et viridi – instituatur liber peculiaris continuo in sacristia servandus, in quo omnes et singuli sacerdotes celebrantes in hac ecclesia, pro obligatione quacumque seu ex legatis societatum et spectabilis communitatis seu ex offerentium devotione seu demum quacumque alia ex causa, manu propria scribant nomen suum celebrata missa et exprimant intentionem quam habuerunt vel pro satisfaciendo suis oneribus, distincte haec describendo vel suae devotionis, monendo reggentes praefatae communitatis nec non societatum huius ecclesiae ibidem praesentes et audientes ne eleemosynas solvant sacerdotibus nisi ex eodem libro constiterit ab eisdem missas celebratas fuisse iuxta obligationem ipsismet sacerdotibus respective iniunctam – novus liber baptizatorum comparetur digestus ordine alphabetico, ubi deinceps describantur nomina baptizatorum, ponendo nomen cuiusque baptizati ad eam litteram libri quae respondeat initiali eiusdem nominis – caveant qui ex officio vel de licentia baptizant ne admittant ecclesiasticos ad levandum de sacro fonte infantes sine licentia speciali episcopali in scriptis data et in fillo servanda - [31^v] novus item liber provideatur matrimoniorum, confectus ordine alphabeti ut supra ac etiam liber mortuorum – provideatur liber peculiaris in quo describatur status animarum huius plebis, hoc videlicet ordine: primum ponantur nomina quorumcumque patrum familias; deinde cuicumque nomini patris familias adiungantur imediate nomina omnium qui pertinent ad eandem familiam, exprimendo aetatem cuiuscumque et qualitatem, ut cognoscatur an communicet, an sit confirmatus, an obedierit in Paschate ecclesiae – provideatur liber congregationum menstruarum, in quo describantur nomina et cognomina omnium et singulorum sacerdotum et clericorum huius vicariae suppositorum per cancellarium eligendum ab admodum reverendo domino vicario foraneo et alter liber in quo describatur ordo cuiuscumque congregationis habendae, hoc scilicet pacto: primum declaretur in describendo ordine praedicto invocatum fuisse Spiritum Sanctum; deinde exarentur nomina singulorum sacerdotum et clericorum qui interfuerunt illi congregationi; quo facto, extractis ex urna per sortem tribus nominibus confratrum eorum qui intersunt, a quibus super casu proposito facienda est discussio et dicenda

opinio dataque libertate deinde aliis suam dicendi opinionem, prout videbitur domino vicario foraneo, registrentur opiniones hinc inde confratrum et tandem decisio casus facienda [32] ab ipsomet domino vicario foraneo vel, eo impedito, ab alio sacerdote ab ipso deputando; demum publicetur casus proponendus in sequenti sessione et, gratiis Deo bonorum omnium largitori peractis, dimittatur congregatio; cui tamen, si videretur, adiungi posset lectio aliqua ex libello vulgo nuncupato *Bilancia del chiericato*. Egressus ex ecclesia receptisque ab admodum reverendo domino archipraesbytero et clero nec non a dominis sindaco, reggentibus ac principalioribus praefati loci Valedii gratiarum actionis et humanitatis argumentis iisque paterna sua benedictione impartita, rhedam cum suo comitatu conscendit et, praecedentibus ac subsequentibus militibus equestris cohortis domini ducis Craina et a praefato domino archipraesbytero et clero nec non a multis praefati loci Valedii associatus, iter suum Veronam versus direxit.

Ad confinia Valedii perventus, a dicto admodum reverendo archipraesbytero et clero Valedii iterum devenerationis argumentis receptis, quibus humanissime respondit, iisque dimissis et recedentibus militibus centuriae Craina, praesto fuit dominus Antonius Manfron cum sua equestri cohorte, qui dominationem suam illustrissimam et reverendissimam deveneratus, eadem subsecutus est cum suis militibus usque ad locum Villaefrancae, ubi illos cum sua benedictione reliquit. In hoc loco pernoctavit, ut ad supplicationes admodum reverendi patris guardiani et reverendorum patrum ordinis minorum sancti Francisci cappuccinorum dicti [32^v] loci octiduum, quod in honorem sanctorum Fidelis a Sigmaringa et Iosephi a Leonissa in eorum ecclesia celebratur, ipse compleret et die dominico sequenti ad ecclesiam eorundem reverendorum patrum se contulit ac in ea solempni pompa missam pontificali ritu celebravit et, post prandium eiusdem diei, solitae solempni processioni ac divini Sacramenti expositioni personaliter intervenit ac eodem Sacramento frequentissimo populo bendixit. Summo mane sequentis diei lunae, ad generales suorum clericorum ordinationes habendas Veronam versus iter arripuit et ad aedes suas episcopales incolumis – Deo dante – pervenit.

[33] Die sabbathi a prandio 23 mensis septembris 1747. Ordinationibus clericorum expletis, statuta iam visitatione parochialis ecclesiae seu plebis Sancti Petri de Villafranca et de eadem admodum reverendo domino archipraesbytero per edictum ut ante monito, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes, hora vigesima prima huius diei, cum suo comitatu in cathedralem ecclesiam suam descendit et, ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum preces fudit suamque subinde rhedam consensus suisque familiaribus subsecutus, ad praefatum locum Villaefrancae iter direxit. Egressus e civitate, praesto ei fuit dominus Simon Pellegrini cum sua cohorte equestri, a quo deveneratus dominationem suam illustrissimam et reverendissimam concomitatus est. Ad Dossobonum perventus, obviam habuit admodum reverendum archipraesbyterum Villaefrancae cum aliquibus sacerdotibus nec non dominos sindicum et principales ipsius loci, a quibus humanitatis et obsequii argumentis receptis, iter suum prosecutus est, iisdem subsequentibus usque ad contractam Caluri, ubi eum prestolabatur dominus capitaneus Manfron cum sua equestri cohorte, a quo obsequio praestito, recedente domino capitaneo Pellegrini cum eius cohorte, dominationem suam illustrissimam et reverendissimam subsecutus est. Non procul a terra Villaefrancae obvios quoque habuit quamplures pueros eiusdem loci, vexilla in signum laetitiae gestantes, a quibus circumseptus [33^v] ad locum ipsum Villaefrancae pervenit et in aedibus parochialibus, sonantibus campanis, tubis tyiisque tinentibus receptusa atque iterum ab admodum reverendo domino archipraesbytero, clero, populo et principalioribus communitatis deveneratus, in proprio cubiculo quieti se dedit et somno incoenatus indulisit. Die dominico 24 septembris 1747. Facto mane omnibusque in ecclesia paratis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad portas domus parochialis venit inibique super pulvinaribus stratis genuflexus, sub baldachino a sex sacerdotibus gestato crucem – sibi a domino archipraesbytero pluviali induto porrectam – adoratus et deosculatus est. Mox clero psalmum *Benedictus*, et scholis doctrinae christianae, et disciplinatorum divinas laudes decantantibus, ecclesiam processionaliter adivit, in cuius limine sistens, aspergillo accepto e manu ipsius domini archipraesbyteri aqua lustrali se signavit et frequentem populum aspersit nec non thurificationis honorem triplici ductu recepit. Ante altare maius stratus, ante sanctissimum Sacramentum pias preces fudit; decantatis interea solitis orationibus, altare ipsum ascendit,

populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impartitus est. Porro thronum sibi a latere evangelii altaris maioris decenter paratum ascendit ibique, violacei coloris sacris indumentis vestitus, inservientibus in dalmaticis [34] admodum reverendis dominis Sperindeo Bentivoglio, archipraesbytero Sonae et Hieronymo Tartaroti, archipraesbytero Mozzecanarum, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem contiguo, quod etiam visitavit, persolvit.

[A margine: VILLAFRANCA] Dimissis violaceis albisque sacris apparatus sumptis, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo ligneo auro linito et in pixide argentea intus inaurata, sub sera dupplici et clavi argentea tute custoditum. Vidit alteram pixidem minorem argenteam, in cupa auratam et in pede cupream, rite instructam. Vidit amygdalam argenteam, intus inauratam, pro deferendo eodem Sacramento infirmis distantibus, pro cuius decenti associatione extant necessariae suppellectiles, quae manentur a societate eiusdem Sacramenti quaeque descriptae sunt in pollicea exhibita et in fine huius libri posita sub littera B; vidit etiam ostensorium argenteum radiatum, bene tentum. Ex factis interrogationibus cognovit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; cum eodem Sacramento processionem fieri die festo sacratissimi Corporis Domini et qualibet tertia dominica mensis; expositionem vero a festo sanctae Crucis maii usque ad festum eiusdem sanctae [34^v] Crucis mensis septembris; dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari. Expositionem ipsius venerabilis Sacramenti fieri impensis communitatis, societatis sanctissimi Sacramenti et societatis beatae Virginis Mariae nuncupatae *della Luna*, prout etiam in processionibus faciendis eadem societas beatae Virginis *della Luna* tria intortitia suppeditat et tria communitas huius loci, reliqua vero exhibentur a societate ipsius Sacramenti. Sub hac cura extare animas a communionem 1862, in totum vero 2916, inter quas undecim qui praecepto paschali non obedierunt, sed hisce diebus, reverendorum missionariorum suasionem et gratia divina moti, se se Deo reconciliarunt et communionem sumpserunt; reliqui omnes praecepto ipso obedientiam praestiterunt. Communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi. Lampadem continuo ardere ante hoc divinum Sacramentum, impensis pro duobus tertiis dominorum clericorum huius plebis, pro altero vero domini archipraesbyteri, prout etiam manentur eodem ordine cerae pro hoc altari. Dominus archipraesbyter, mandatis obediens, obtulit policeas huius plebis iuxta edictum, quas ego notarius recepi et in fine huius libri posui sub littera B. His actis, eodem sanctissimo Sacramento populo benedixit. [35] Reposito divino Sacramento, sacerdotalibus indutus sacris vestibus, sacrosanctum missae sacrificium inter campanarum sonitum, organi, tubarum tybiumque clangores et tormentorum bellicorum strepitus, absolvit. Quo absoluto, dimissis sacerdotalibus vestibus et gratiis Deo actis, pontificalibus indumentis vestitus, suggestum conscendit et ex eo omeliam populo dixit, qua de sacramentis confirmationis et sanctissimae Eucharistiae eorumque effectibus populum ipsum instruxit; de primo autem ostendit prae caeteris effectum esse fortitudinem quam confert Spiritus Sanctus in illo digne huic sacramento accedente, per quod accipit robur ad resistendum tentationibus, prout sancti martyres coram praesides idololatrias fortiores gratia eiusdem Sancti Spiritus evadabant, iridentes eorum tormenta; de secundo, vero, in quo Auctor divinae gratiae continetur, paterno amore omnes in Domino hortatus est ut pio et immaculato corde ad illud assumendum frequenter accedant, ut vere filii lucis evadant. Denique solemni ritu benedictione impartita, e suggestu descensus, in aedes parochiales reversus, quieti paulisper indulget et prandium sumpsit. Die antedicta 24 septembris 1747 post prandium. Convocata iam per solita signa in hac parochiali ecclesia hora consueta schola doctrinae christianae, in eadem, [35^v] solitis servatis ritibus, illustrissimus et reverendissimus praesul descendit et, ante divinum Sacramentum stratus, oravit ac subinde praecepit domino archipraesbytero ut per interrogationes faciat ut appareat quomodo pueri, puellae atque adulti instructi sint in misteriis fidei aliisque ad aeternam salutem necessariis; qualis sit ordo et exercitium huiusmodi pii operis et revera ex factis interrogationibus per ipsum dominum archipraesbyterum cognovit, non sine animi sui laetitia, omnes bene edoctos hortatusque est laicos, sed praesertim ecclesiasticos, ut in huiusmodi sancti operis exercitio qui sunt adscripti diligenter perseverent et qui non sunt dent operam ut, relictis vanis huius saeculi oblectamentis, hoc divinum opus, quod praecipue ad salutem animarum confert, magis magisque in dies foveatur et augeatur.

Dimissis pueris, puellis atque operariis ipsius scholae iisque monitis pro die crastina hora consimili pro habendo iterum eodem exercitio, pastorem suam visitationem proseguendo, visitavit olea sancta, in capsula ex nuce et in loculo in cornu evangelii sito et in vasculis stanneis rite instructis servata, quae recipiuntur a cathedrali. Vidit etiam vascula minora olei infirmorum, ex stamno unum, alterum ex argento confectum et rite quoque instructa. Vidit etiam et visitavit fontem baptismalem, in loco iuxta [36] ianua maiorem ecclesiae positum. Vidit etiam ibi olea chrismatis et cathecumenorum, in vasculis argenteis rite quoque instructis et bene tentis. Visitavit quatuor confessionalia, in ecclesia bene disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit subinde altare maius, in mensa marmoreum in reliquis partibus ligneum inauratum, de iure dominorum archipraesbyteri et clericorum huius plebis. In hoc altari nulla est obligatio missarum, sed in eo celebratur ex devotione et dominus archipraesbyter diebus festis in eo celebrat et applicat pro populo. Hoc altare manutinetur pro duobus tertiis partibus a dominis clericis huius plebis, pro altero tertio a domino archipraesbytero huius loci. Vidit etiam sacras reliquias sanctorum Vincentii et Felicis martyrum, alias recognitas in visitatione anni 1731, quas et ipse recognovit. Vidit denique sacras reliquias, nempe ex sacris ossibus sanctorum Petri et Pauli apostolorum, in theca crystallina repositas, sigillo et litteris munitas et in hac curia usque de anno 1731 visas et recognitas; ideo easdem iterum recognovit et omnes deveneratus est. In hoc altari adest societas sanctissimi Sacramenti, quae canonice erecta fuit, ut innuitur ex aggregatione facta archiconfraternitati [36'] sanctissimi Sacramenti almae Urbis, ex diplomate diei 2 maii 1739, viso in hac curia et approbato pro eius publicatione sub die 27 maii eiusdem anni. Haec societas redditus tantummodo habet ex legato quondam domini Iulii Benini huius loci, ex eius testamento 10 februarii anni 1746 in actis domini Bartholomaei Minucelli notarii, in quo reliquit eidem societati unam petiam terrae, cum onere quotannis celebrari faciendi sex missas in perpetuum in praedicto altari. Quae petia terrae ab eadem societate subastata fuit et perceptum praetium ducatorum 801. Descendens ex altari maiori praedicto, vidit quamdam cappellam sine altare a parte epistolae, in qua icon appensus est qui exprimit symbolum sanctissimi Sacramenti interrogavitque num altare ibidem esse erigendum et, quatenus erigendum, ad quos pertineat; cui responsum fuit iconem illum fuisse altaris Corporis Christi, quod demolitum dum ecclesia novo edificio reparata fuit ac ipsum altare fuisse et esse de ratione societatis Corporis Christi, a qua illud manutenebatur. Quod cum audivisset ac observasset visitationem anni 1712, in qua idem altare describitur et asseritur esse de ratione praedictae societatis, interrogavit num adesset adhuc societas sub titulo sanctissimi Corporis Christi quamvis existat [37] alia societas in eadem ecclesia sub titulo sanctissimi Sacramenti, quam nuper visitavit et cum praesens esset Ioannes Maria Mesaroli, massarius assertus societatis Corporis Christi, respondit adesse adhuc hanc societatem, quae regitur ab iisdem reggentibus societatis Conceptionis beatae Virginis Mariae, quin imo praefatam societatem Corporis Christi habere suos redditus, qui anno proxime elapso fuerint tronorum 426.1.8, ut constat ex libro exactionum, ab eodem massario exhibito eoque observato, fuit restitutus, qui vix sufficiunt pro adimplendis oneribus descriptis in tabula quae servatur in loco sessionis societatis Conceptionis beatae Virgines ac etiam pro providendo altare sanctae Luciae, cuius tutelam ipsamet societas Corporis Christi suscepit post demolitionem sui altaris praedicti. Quibus intellectis, cum constet duas esse societates in hac eadem ecclesia parochiali sub eodem titulo sanctissimi Sacramenti, contra tenorem ecclesiasticarum constitutionum, unde indulgentiae et privilegia frustantur cumque societas Corporis Christi modo regatur a dominis reggentibus societatis Conceptionis neque altare sanctae Luciae pertineat ad ipsam societatem Corporis Christi, ideoque monuit reggentes societatis Corporis Christi nec non illos Conceptionis, praesentes et audientes, ut haec ipsa societas Corporis Domini uniatur [37'] societati sanctissimi Sacramenti praedictae et una eademque sit societas sub titulo eiusdem divini Sacramenti; quo vero ad altare Corporis Christi demolitum, monuit ut ab eadem societate vel iterum erigatur vel renunciatur ut ab aliquo pio patrono seu ab aliqua alia societate canonice instituenda reaedificetur. Quibus peractis, in edes parochiales se se restituit et quievit. Die lunae 25 septembris 1747. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam parochialem antedictam, solitis servatis ritibus, venit adoratoque sanctissimo Sacramento, pia pro missae celebratione praeparationem emisit ac subinde sacrosanctum missae sacrificium inter musicales concentus obtulit aeterno

Patri; quo absoluto, quatuorcentum circiter utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem praebuit et supra mille pariter utriusque sexus christifideles sacro chrismatis oleo in fronte signavit. His actis, iam defatigatus, in aedes parochiales receptus, in iisdem diversatus est, prandium sumpsit et paulisper somno se dedit. Die suprascripta 25 septembris 1747 post prandium. Hora consueta et per solita data signa convocatis pueris, puellis atque operariis doctrinae christianae, in distinctas classes distributis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam eandem descendit fuisque [38] precibus ante divinum Sacramentum, inceptum pium exercitium doctrinae christianae, lustrando singulas classes, visitavit audivitque methodum qua mysteria divina aliaque ad salutem animarum necessaria pueri puellaeque docentur; cumque cognovisset a quibusdam ecclesiasticis negligi opus istud tam pium regulasque generales a suis praedecessoribus aeditas universim non observari, prout serenissimus princeps etiam suis litteris ducalibus observandas nuper praecepit, ideo monitis praesertim praedictis ecclesiasticis de et super eorum obligatione docendi doctrinam christianam, haec iuxta easdem regulas deinceps in hac schola doctrinae christianae decrevit exequendam, videlicet vulgari sermone: 1 – Che siano assignati i sacerdoti e chierici di questa parochia alle classi delli huomeni e delle donne dal molto reverendo arciprete vicario foraneo, come da lui sarà stimato più opportuno e doveranno essi rassegnarsi alle di lui disposizioni, né potranno mutar classe senza di lui speciale licenza e ciò a norma delle regole generali sudette. 2 – Doveranno i nomi delli ecclesiastici sudetti essere descritti in un libro particolare, che doverà essere tenuto dal cancelliere della dottrina, come si usa nella città e si doveranno, di festa in festa, notare dal medesimo [38] cancelliere le loro diligenze o mancanze, affinché si possa rilevare in qualunque volta occorra se attendano al loro officio e possano essere corretti dall'autorità episcopale, in caso di disubbidienza alle paterne ammonizioni come sopra fatte, né potrà il signor arciprete o qualunque altro far loro fedì di alcuna sorte, se prima non averanno osservato il medesimo libro e rilevato la diligenza o negligenza de medesimi. 3 – Doveranno pure i nomi de confratelli laici esser notati sopra altro libro particolare perché nelle terze domeniche del mese si notino le diligenze o mancanze loro per la comunione, che debbono fare secondo il loro istituto. 4 – Doveranno essere istituiti tanti regolamenti delle classi della dottrina degli huomeni quanti occorreranno, i quali doveranno essere de più prudenti e di animo più moderato, desiderando che fra di essi ve ne siano alcuni de più esemplari ecclesiastici e loro officio sarà andar osservando di classe in classe se li scolari descritti ne rispettivi cattaloghi frequentino le classi ad essi destinate et, in caso che trovassero che questi andassero ad altra classe, doveranno ricondurli alla loro propria, affinché così vadino apprendendo di grado in grado senza confusione e disordine la dottrina cristiana. [39] 5 – Altri regolatori huomeni, gravi di età e di prudenza come sopra, doveranno essere eletti specialmente dal signor arciprete per le donne che accudiscono al medesimo officio verso di queste, come quelle delli huomeni. 6 – Doveranno pure, nelle classi delle donne, esser fatti i loro cattaloghi di classe in classe, dove siano descritti i nomi delli ecclesiastici, delle maestre e delle discepole. 7 – Siano dal signor arciprete eletti due portinari, della qualità de sudetti regolatori, officio de quali stia di stare alla porta maggiore dove entrano et escono le donne et ivi attendere perché non nascano disordini e diano l'aqua santa alle fanciulle tenere et osservino se si si segnino col segno di croce. 8 – Sia finalmente eletto un infermiere o due, i quali abbino a visitare gl'infermi confratelli, giusta le regole generali della dottrina e riferiscano al signor arciprete il loro stato o perché faccia egli pregare Iddio per loro, o perché procuri che siino soccorsi con limosine, se fossero poveri. 9 – Il signor arciprete, che è sopra intendente e come vicario foraneo visitatore di questa dottrina, giusta le predette regole, ponga ogni studio che siano essequite tutte le presenti ordinazioni e le regole generali a cui doveranno star sottoposti gli operari tanto ecclesiastici che laici, giusta le stesse regole e giusta la pubblica sovrana intenzione. [39] Hisce actis, pastorali suae visitationi incumbens, visitavit altare sancti Antonii abbatis, de iure huius communitatis, marmoreum in mensa, in reliquis partibus ligneum, cum icone depicto, quod de omnibus ab eadem communitate manutinetur. In hoc altari est obligatio missarum trium in hebdomada et omnibus diebus festis de praecepto et cappellanus est reverendus dominus Franciscus a Planco, qui tenetur, ex obligatione sibi iniuncta ab eadem communitate, celebrare ultimam missam et communitas erogat eidem stipem ducatorum octuaginta de grossis in anno, cum onere tamen celebrandi alteram missam in hebdomada a festo sanctae Crucis maii usque

ad festum eiusdem sanctae Crucis septembris, ex voto communitatis in altari sancti Caroli. Insuper adest huic altari obligatio, ex antiqua consuetudine, erogandi duodecim minalia tritici effecti in panem in festo sancti Antonii abbatis et similiter in festo sancti Martini et eadem consuetudinem communitas ipsa exequitur; nunc vero decem et octo minalia tritici in panem dispensat propter multitudinem inhabitantium in hoc loco in singulis praedictis diebus sancti Antonii et sancti Martini. Altare sancti Caroli, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis partibus ligneum, nunc possessum a familia Custoza huius loci. [40] In hoc altari est beneficium simplex, cappellania nuncupatum, sub titulo sancti Caroli, cum obligatione celebrandi omnibus diebus festivis et tribus ferialibus in hebdomada et cappellanus eligitur pro uno voto a domino archipraesbytero, pro altero voto a massario societatis beatae Virginis *della Luna* nuncupatae et pro tertio a syndico communitatis huius loci, iuxta institutionem ipsius beneficii quondam Christophori Florio; modo cappellanus est reverendus dominus Dominicus Calubieri, qui accipit stipem a pio loco sanctae domus Misericordiae Veronae ducatorum sexaginta in anno et fuit institutus ab hac curia episcopali cum litteris episcopalibus diei 31 martii 1732 et idem rector huius cappellaniae habet onus manutenendi hoc altare. In eodem altare celebratur una missa in hebdomada, ex voto communitatis, ut supra dictum est in visitatione altaris sancti Antonii. Altare beatae Virginis Immaculae Conceptae nuncupatae *della Luna*, marmoreum cum portatile et imagine eiusdem beatae Virginis ex ligno sculpta, de iure societatis ibidem erectae sub eiusdem titulo, a qua de omnibus manutinetur. Societas praedicta canonice erecta asseritur in praecedentibus visitationibus annorum 1712 et 1730 et habet ex pluribus capitalibus, a piis testatoribus [40'] relictis, redditus ultra libras termille; nam anno proxime elapso exacti sunt a domino Antonio Benini, massario eiusdem societatis, troni 3562.13.4, ut constat ex libro foris inscripto "1746. Scodarolo d'affitti e livelli della venerabile compagnia della beata Vergine Maria della Luna di Villafranca", ab eodem domino Benini exhibito, viso eique postea restituto. Huiusmodi redditus impenduntur pro satisfaciendo oneribus quibus eadem societas est obnoxia quaeque descripta sunt in tabella quae servatur in loco ubi iidem confratres suas sessiones celebrant, in qua tabula describuntur anniversaria plurima, cum numero missarum cuicumque correspondentium ac praeterea in ea declaratur obligatio reverendo cappellano imposita, qui modo est reverendus dominus Ioannes Baptista Minucelli. Praeterea, ex iisdem fructibus quot annis dotes erogantur pro quatuor vel quinque puellis pauperibus honestisque ac frequentioribus operi doctrinae christianae, prout vires societatis paciuntur et quod superest impenditur pro manutentione altaris seu instituti eiusdem societatis nec non suppellectilium pro ornamento altaris eiusdem aut pro sacrificio in eo celebrando, quorum inventaria exhibita posita fuerunt in fine huius libri sub littera B. Quibus actis, in edes parochiales se se recepit et obdormivit. [41] Die martis 26 mensis octobris 1747. Illustrissimus et reverendissimus praesul, facto mane, in saepedictam ecclesiam parochialem descendit emissaque ante sanctissimum Sacramentum pia praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium celebravit, tercentum circiter utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit et mille quingentos circiter utriusque sexus christifideles sacro chrismatis oleo in fronte perunxit. Dum haec agerentur, illustrissimus dominus provicarius generalis se contulit, cum me notario, ad visitanda oratoria infrascripta. Et primum [A margine: San Rocco] visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Rocchi, infra limites parochialis ecclesiae Villaefrancae, quod manuteneri consuevit a venerabili societate Conceptionis beatae Virginis Mariae, quae est erecta in ecclesia parochiali ex eiusdem societatis pietate et devotione. Unicum in eo est altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto excellentis picturae, sed temporis iniuria coroso. In hoc altari est legatum missarum duodecim in anno, quod exequitur praedicta societas missasque celebrat reverendus dominus Ioannes Baptista Minucelli ac praeterea ab eadem societate celebrari faciunt missae duae, altera in die festo sancti Rocchi, altera in die sancti Sebastiani. Vidit super gradus altaris custodiam mobilem ex nuce [41'] et interrogavit quidnam eius sit usus; reggentes societatis responderunt positam fuisse de licentia admodum reverendi archipraesbyteri et eius arbitrio ibidem servari; nam qualibet secunda feria Quadragesimae, quoties id videtur praefato domino archipraesbytero, exponitur in hoc altari sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quo idem dominus archipraesbyter vel alius sacerdos ab eo delegatus populo benedicit; qui cultus erga sanctissimam Eucharistiam peragitur piorum eleemosynis. Quibus auditis, ut ibidem istud tabernaculum mobile remaneat

ad effectum ut supra idem illustrissimus dominus provicarius generalis indulsit et concessit donec hoc idem domino archipraesbytero opportunum videbitur pro Dei cultu et populi devotione et non aliter nec alio modo et cetera. Vidit etiam organum in hoc ipso oratorio existentem. Visitavit sacristiam et in ea apparamenta, satis decentia, quae servantur in armario ligneo et custodiuntur a reggentibus praefatae societatis quaeque ex piorum collectis eleemosinis comparata fuerunt, quorum inventarium exhibitum fuit in fine huius libri positum ad litteram B. Prope ipsam sacristiam adest domus quam inhabitat haeremita, nuper a solo errecta ex piorum eleemosinis, ut custodiatur hoc oratorium. Visitavit denique coemeterium contiguum eidem ecclesiae, quod modo muro circumdatur ex iisdem |42| eleemosinis, in quo sepulta iacent cadavera eorum qui obierunt tempore pestis, pro quibus oravit. Ordinata. Exequantur ordinationes factae in visitationibus 1712 et 1730 de sarcienda pictura sancti Rocchi, de instruenda mensa gradibus novis pro candelabris et de speris ad fenestras ponendis – de ponendo in sacristia labello cum manutergio pro abluendis et abstergendis celebrantium manibus – de vase stabili pro aqua lustrali. Erigatur in coemeterio huius oratorii columna cum cruce ferrea in eius apice. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Giovanni Nepomuceno] Visitavit publicum oratorium sub titulo Beatae Virginis Mariae et Sancti Ioannis Neopomuceni, in contracta *le Kà* nuncupata sive *Fornaci*, de iure dominorum Ioannis Antonii et fratris Betti. Unicum est in eo altare, marmoreum cum portatili, decenter instructum et servatum, in quo nulla est obligatio missarum, sed celebratur in eo singulis diebus festis per reverendum dominum Dominicum Calubini, sacerdotem huius plebis, ex devotione patronorum. Vidit super gradus eiusdem altaris custodiam marmoream, in qua servantur sacrae reliquiae ex ligno sanctissimae crucis Domini nostri Iesu Christi, in theca crystallina, sigillo et litteris huius curiae munita diei 19 aprilis 1746; |42^v| ex sacris ossibus sancti Ioannis Neopomuceni martyris, in theca argentea dupplici crystallo munita, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Umberti Aloysii Radicati, episcopi pisarenensis, in hac curia recognita die 3 novembris 1745; ex sacris ossibus sancti Antonii patavini, in theca ex auricalco reposita, sigillo et litteris huius curiae munita diei 2 martii 1746. Retro altare vidit chorum, qui inservit pro sacristia et in eo visitavit vasa sacra et apparamenta ad missae celebrationem necessaria et omnia rite, decenter et ornate instructa invenit nihilque ordinandum censuit. Altare praedictum est privilegiatum pro animabus fidelium defunctorum patronorum, consanguineorum et affinium de familia Betti, ut ex brevi apostolico diei 7 augusti 1745, in hac curia viso sub die 23 eiusdem mensis et anni. Vidit etiam campanile in quo extat unica campanula. Quibus habitis et cetera. [A margine: San Francesco] Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Francisci, in contracta Caluri nuncupata, infra limites parochialis Villaefrancae, de ratione nobilis familiae Vertua, in quo unicum est altare, marmoreum cum portatili ac icone depicto, in quo nulla est obligatio missarum, sed ex devotione incolarum huius contractae passim |43| diebus festis celebratur. Nulla adest sacristia, sed sacrae suppellectiles pro missa celebranda – quas visitavit et sufficientes vidit – servantur in eodem oratorio, in quadam cista. Ordinata. Vel erigatur nova sacristia vel altare transferatur ante arcum capellae in qua modo est situm, ad hoc ut ipsa capella utantur sacerdotes pro sacristia et ibidem ponatur vas pro aqua benedicta, crux et alia prout sacri ecclesiae ritus praecipunt. Quibus habitis et cetera. [A margine: Santissimo Crocifisso] Visitavit oratorium publicum sub titulo sanctissimi Crucifixi, situm in arce infra limites parochialis Vallaefrancae, quod est de ratione ipsius communitatis, sed providetur ex piorum eleemosinis; nam sacra Christi imago, quae hic veneratur, christifidelium finitimorum pietatem maxime excitat. Unicum extat altare, marmoreum cum portatile et imagine eiusdem Crucifixi in muro depicta et sub crystallis servata. Nulla in hoc oratorio est obligatio missarum, sed ex piorum eleemosinis passim in eo celebratur, prout apparet ex visitationibus postremis; nunc vero temporis sacrificia offeruntur prout a fidelibus postulantur. |43^v| Communitas haec eiusque reggentes eleemosynas administrant. Vidit sacram reliquiam de ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, in theca ex auricalco ovalis formae, tabula vitrea coopertam, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci de Vico, episcopi elusini, diei 23 iulii 1730 munitam et in hac curia episcopali visam et recognitam sub die 11 iulii 1732. A parte laterali eiusdem altaris, ubi legitur epistola, patet ianua per quam ingreditur in locum contiguum, quo conveniunt christifideles in solemnioribus diebus quibus sanctissimus Crucifixus collitur, ad opera pietatis peragenda;

ibidem extat orchestra cum organo, quibus utuntur in iisdem solemnioribus diebus. Visitavit sacristiam, ubi elegans armarium ex nuce nuper constructum est, in quo sacrae suppellectiles ad missam celebrandam servantur, quas satis ornatas observavit. His actis, ad parochialem ecclesiam reversus et, una cum illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo, in aedes parochiales receptus, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 26 septembris 1747 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, in praefatam parochialem ecclesia descensus, ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum genuflexus oravit ac deinde, pastoralis suae visitationi dans operam, [44] visitavit altare sanctissimi Rosarii, de ratione societatis sub eodem titulo, quae canonice instituta fuit, prout in postremis visitationibus recognitum ac illud ab eadem societate custoditur et providetur; est marmoreum cum portatili et icone depicto, eleganti forma constructum. Superscripta societas Rosarii habet suos redditus, quibus per eius reggentes satisfit oneribus eidem iniunctis, prout assertum fuit. Altare sanctae Luciae, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, quod in visitatione anni 1712 dicebatur de ratione societatis Conceptionis, sed nunc temporis a societate Corporis Christi manuteneri asseritur, stante demolitione altaris Corporis Christi, de qua supra. Visitavit altare sancti Iob, marmoreum cum portatili et icone depicto a domino Simone Brentana veronensi, de iure societatis sub titulo eiusdem sancti Iob, quae canonice erecta asseritur ad hoc altare in postrema visitatione anni 1730, a qua de omnibus idem altare sufficienter manuteneretur. Haec societas nullos habet redditus nullaque onera, sed ex confratrum eleemosynis nec non populi pietate impensis suppletur. [A margine: Disciplina] Visitavit subinde oratorium publicum sub titulo Visitationis Mariae et Elisabeth, infra limites parochialis ecclesiae Villaefrancae situm, cum unico altari, marmoreo cum [44^v] portatili et icone depicto ab Horatio Farinato veronensi, de ratione societatis Disciplinatorum, sub titulo sanctissimi Crucifixi et sanctae Helisabeth, in hoc ipso oratorio institutae et canonice erectae, ut assertum fuit ab iisdem confratribus in duabus visitationibus praecedentibus 1712 et 1730 et prout apparet ex diplomate eius erectionis, datum Romae ab eminentissimo protectore archiconfraternitatis sanctissimi Crucifixi, cui haec societas aggregata fuit sub die 14 augusti 1636, cuius publicationem iussit Laurus Arrigonius, vicarius generalis huius curiae die 2 iulii 1637. A lateribus eiusdem altaris et in duobus oculis, rite constructis super portas per quas ingreditur chorum, repositae sunt reliquiae assertae sanctorum martyrum Theodori et Prosperi in distinctis capsulis ligneis cum crystallo a parte anteriori, quas vidit et sigilla observavit quibus muniuntur; verum, authenticis litteris carent ideoque, suorum praedecessorum decretis inhaerendo, eas in sua veneratione reliquit. Societas praedicta habet redditus ex plurimis capitalibus eidem a piis testatoribus relictis, qui anno proxime elapso fuerunt troni 816.13.4, ut constat ex libro foris inscripto “1722. Scodarolo d’affittuali della venerabile confraternità de Disciplini di Villafranca”, a domino Carolo Comino, massario eiusdem, exhibito, viso et restituto, ex quibus satisfit oneribus missarum [45] et anniversariorum, quae descripta sunt in duabus tabellis existentibus in sacristia eiusdem oratorii et reverendus dominus Ioseph Ciresola, cappellanus a confratribus amovibiliter electus, missas celebrat, prout in altera ex iis duabus tabellis inscripta “Oblighi di messe senza officio”. Confratres huius societatis – qui, accedente illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo ad hoc oratorium, indutis suis cappis nigri coloris, cum humili obsequio receperunt – sunt ultra centum et huc conveniunt diebus festis recitaturi officium beatae Virginis Mariae in choro retro altare ipsum, quem vidit et visitavit et convenienti forma constructum esse observavit. Visitavit etiam in cornu evangelii sacristiam et in ea apparamenta et vasa sacra pro missae celebratione neccessaria, quibus satis ornate est instructa. Quibus absolutis, ad edes parochiales restitutus, in iisdem diversatus est et incoenatus somno indulisit. [A margine: San Gerolamo di Rosegafarro]. Die mercurii mane huius diei illustrissimus dominus provicarius generalis se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sancti Hieronimi, in contracta de Rosegafarro infra limites Villaefrancae; quo perventus et in eo ingressus, vidit et visitavit oratorium ipsum, de ratione [45^v] nobilis familiae Canossa, quod tamen solet manuteneri ab hominibus huius vicinia ex eorum devoto arbitrio, et eleemosynis. Unicum in eo extat altare, marmoreum in mensa et in reliquis partibus ligneum, cum portatili et icone depicto. Nulla in eo est obligatio missarum – ut fuit assertum – sed homines huius vicinia missam celebrari faciunt diebus festis ex colatis eorum eleemosynis per reverendum dominum Ioannem

Mariam Franchini, sacerdotem Quadernorum, a quo docetur doctrina christiana diebus festis, de licentia domini archipraesbyteri Villaefrancae praedictae, ad quem effectum classes sunt in hoc oratorio distributae quibus singuli pressident magistri et mulieres a viris medio tellae extensae separantur, cuius scholae discipuli die dominico proxime elapso convenerunt ad ecclesiam parochialem ibique, cum aliis discipulis doctrinae christianae huius plebis, eorum peritiae experimentum fecerunt, ut supeius dictum fuit. Retro altare sacerdos apparamenta suscipit pro missa celebranda ibique sacristiae usus peragitur, ubi adest armarium ligneum, in quo praedictae suppellectiles sacrae servantur, quas visitavit easque comparavit haec vicinia et manuetenit; huismodi suppellectiles sunt sufficientes, sed deficit apparamentum nigri coloris et desiderantur ornatiores. [46] In hoc oratorio est indulgentia plenaria huc accedentibus die festo sancti Ignatii Loiolae, ut ex brevi apostolico die 15 ianuarii 1746, ad septennium dato et in hac curia viso die 6 februarii eiusdem anni, qua occasione accedit dominus archipraesbyter auditque confessiones christifidelium, vel deputat alium confessarium ad ipsas audiendas, prout sibi videtur. Cum vero idem illustrissimus dominus provicarius generalis cratem vidisse mobilem, qua utuntur pro administrando hoc ipso sacramento die praedicto sancti Ignatii, illam removit et frangendam iussit, cum foramina ampliora essent. Quando necessitas urget et fieri possit, per sacerdotem celebrantem consecratur sanctissimum Viaticum et ab eodem, de licentia domini archipraesbyteri defertur ad infirmos; lumina vero et suppellectiles necessariae suppeditantur singulis vicibus a societate sanctissimi Sacramenti ecclesiae parochialis. Reversus ab oratorio rediens Villamfrancam, in medio huius contractae vidit erigi novum aedificium interrogavitque Bartholomaeum Cordioli quondam Dominici, priorem scholae doctrinae christianae huius contractae et praecipuum inter homines huius loci, quod esset hoc aedificium responditque erigi novum oratorium comodo huic eidem viciniae, ex facultate episcopali sibi facta usque de anno 1743 omnesque familiae et incolae hic degentes conferre eleemosinas ad ipsum [46^v] oratorium perficiendum. Interea illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in antedictam ecclesiam parochialem venit et, pia emissa praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium celebravit, aliquot utriusque sexus eucharistico Pane cibavit; cumque in hac paroecia quinque adessent qui propter eorum infirmitates ad ecclesiam accedere non possent, ad illos pius praesul sacram Eucharistiam solemnem pompam detulit et propriis manibus paterno amore eosdem eodem divino Sacramento refecit. Ad ecclesiam reversus, adstantibus frequentissimis, eiusdem sanctissimi Sacramenti benedictionem rite impartitus est. Reposito sanctissimo Sacramento, supra biscentum utriusque sexus christifidelibus sacramentum confirmationis ministravit et, defatigatus, in aedes parochiales se se recepit, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 27 septembris 1747 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus veronensis visitationem iam inceptam huius parochialis ecclesiae prosequi intendens, in praedictam ecclesiam descendit adoratoque in ea sanctissimo Sacramento, visitavit sacristias in hac ecclesia existentes et primum sacristiam huius plebis, quae – prout eius suppellectiles sacrae – a domino archipraesbytero et clericis, pro una tertia scilicet parte a primo, pro duabus vero tertiis a [47] secundis manuetentur; suppellectiles praedictas vidit et attente visitavit easque decentes cognovit. In sacristia plebis suppellectiles sacrae pro missis celebrandis in respectivis armariis servantur et custodiuntur, videlicet societatis Rosarii, beneficii sancti Caroli, officiatorum Bellesini, quae peragitur in altari Rosarii et officiatorum Massagranti, quas vidit et visitavit ac decentes item cognovit. Peracta visitatione huius sacristiae, interrogavit num adsit liber in quo sacerdotes celebrantes ad normam sacrarum constitutionum eorum nomina scribant, cumque intellexisset non consuevisse hunc librum adesse, ordinavit ut infra in ordinatis. Egressus ab hac sacristia, accessit ad visitandam aliam sacristiam, de ratione societatis Conceptionis beatae Mariae Virginis, in qua sacrae suppellectiles pro missis celebrandis iuxta eius institutum servantur, quas vidit et ornate instructas esse invenit. Ingressus iterum ecclesiam, visitavit eius chorum, in quo vidit sedilia et genuflexoria eleganti forma ex nuce constructa; verum, cum observasset librum pro missis et vespers cantu gregoriano canendis, ordinavit ut infra in ordinatis. [47^v] E choro reversus est in edes parochiales, ubi vidit disposita apparamenta de ratione paeculiari domini archipraesbyteri, quibus nihil deest ad cultum et ornamentum pro sacrificiis celebrandis. Post haec in proprio cubiculo receptus, quieti se dedit. Die iovis 28 mensis septembris 1747. Illustrissimus et reverendissimus praesul, facto mane, descendit in antedictam

parochialem ecclesiam ac in ea sacris vestibus vestitus, missam celebravit; qua absoluta, visitationem huius ecclesiae suscepit ac primum vidit marmora in solo posita prope gradus quibus ad cappellam maiorem ascenditur a parte evangelii interrogavitque cur illa ibidem iaceant, cum ex iis altare olim constructum fuisse videatur; cumque intellexisset marmora esse altaris sanctae Catharinae martyris, vocavit reverendum dominum Benedictum Vertua coadiutorem, qui habet titulum sui beneficii ad altare sanctae Catharinae martyris, prout constat ex visitationibus praedecessorum episcoporum illumque interrogavit qua de causa altare ipsum non sit erectum; cumque respondisset demolitum illud fuisse occasione reaedificationis ecclesiae parochialis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus iterum interrogavit cur ipse altare – quod est de eius ratione – non erexit, cui coadiutor respondit se se submittere iuxta sui praesulis iudicio et, quatenus iudicetur [48] se teneri, eius tententiam executurum. Quapropter ibidem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes, cum considerasset hoc altare sanctae Catharinae martyris in visitationibus suorum praedecessorum, ac praesertim Marci Iustiniani 1635 et postremis Ioannis Francisci Barbadici 1712 nec non Francisci Trevisani 1730, enunciari de ratione coadiutoris et ab eodem manuteneri consuevisse ac praeterea, cum constet titulum sui beneficii adnexum esse eidem altari, prout ex bullis quibus ipse reverendus Vertua institutus fuit, decrevit ut eiusdem coadiutoris impensis idem altare reaedificetur, salvo iure eidem domino coadiutori contra quoscumque et cetera, quatenus et cetera et ita et cetera, omni et cetera. His actis, idem illustrissimus et reverendissimus praesul interrogavit praefatum reverendum Vertua coadiutorem num habeat, praeter onus coadiuvandi in cura animarum, obligationes missarum; cui humiliter respondit idem reverendus Vertua nullum aliud onus missarum suae conscientiae constare nisi onus quatuor missarum in anno, celebrandarum scilicet vigiliis sancti Ioseph, sancti Antonii patavini ac sancti Francisci assisiatis, si sint liberi; sin autem, in proximioribus diebus eisdem festivitatibus, ex legato quondam Antonii Zancan, ut ex eius testamento diei 19 ianuarii 1661 in actis domini Ioannis Mariae Alberti notarii; nam, etsi in visitatione Philippi Stridonii, delegati ab episcopo [48^v] Ioanne mattheo Giberto 16 augusti 1533, enunciatum teneri coadiutorem celebrare in hebdomada et omnibus diebus festis de praecepto et in visitatione Marci Iustiniani 1635 decretum fuerit ut ex fructibus huius beneficii suppleantur defectus missarum non celebratarum et a Sebastiano Pisano in visitatione 1655 enuncietur onus celebrandi omnibus diebus festis, quod repetit idem episcopus in altera eius visitatione anni 1666, nihilominus onus hoc ipsum non innuitur in conditione estimi decimarum Venetiarum anni 1567 neque in visitatione cardinalis Augustini Valerii 1582 neque etiam in estimi cleri veronensis 1679 ac demum neque in visitatione petri Leoni 1696 et in visitationibus postremis Ioannis Francisci Barbadici 1712 et Francisci Trevisani 1730 enunciatum absque onere missarum, ex relatione eorum qui tunc temporis interrogati fuerunt; cumque, praeter provisionem quam a reverendis clericis accipit, quae profecto pro onere coadiuvandi in cura animarum contribuitur, hoc beneficium ex praecitatis polliceis conditionis decimarum et estimi cleri nullos alios redditus habeat nisi minimalium septem frumenti, ex quibus erogatur unum minale pauperibus et olim perceperit fructus ex quatuor campis [49] cum dimidio tronorum viginti quatuor marcularum sexdecim, quam petiam terrae eius praedecessor, cum licentia episcopali, vendidit ut domum coadiutoris reaedificaret, prout constat ex facultate illustrissimi et reverendissimi domini domini Marci Gradonico episcopi veronensis, executoris apostolici, diei 6 maii 1715, propterea non apparet onus celebrandi missas diebus festis enunciatum in aliquibus visitationibus adnexum esse huic beneficio vel posse censi adnexum non solum eo quia neque ante hasce visitationes de eo mentio facta fuerit neque post nullumque vestigium appareat in estimis publicis, in quibus accurate omnia et singula onera describuntur, sed etiam quia redditus non extant quibus huic oneri posset adimpleri: hinc humilime supplicavit ut dominatio sua illustrissima et reverendissima dignetur, suo episcopali decreto, semetipsum suosque successores immunes ab huiusmodi obligatione declarare. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, reverendi domini benedicti Vertua, coadiutoris cappellani sanctae Catharinae martyris expositione et supplicatione intellectis visisque documentis ab eodem citatis aliisque considerandis consideratis, cum spectet ad ipsum onus coadiuvandi in cura animarum et altare manutenendi et redditus minimi sint praeter provisionem clericorum quae praestatur pro [49^v] coadiuvanda cura neque satis constet de obligatione missarum praeter quatuor supra ab eodem

enunciatas, decrevit et declaravit ipsum reverendum Vertua eiusque successores non teneri diebus festis missas applicare pro eodem beneficio; mandavit tamen eidem eiusque successoribus ut die prima Paschatis unam missam, alteram die prima Pentecostes, tertiam die Corporis Christi, quartam die Assumptionis beatae Virginis Mariae, quintam die sanctae Catharinae martyris, sextam denique in die Nativitatis Domini nostri Iesu Christi in eodem altari sanctae Catharinae quotannis pro benefactoribus eiusdem beneficii celebrare perpetuo teneantur et ita et cetera, omni et cetera. His actis, cognovit idem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad idem altare sanctae Catharinae aliud perpetuum beneficium institutum esse missae quotidianae, quod institutum fuit a quondam Andrea Massagranti, de iure patronatus eius heredis, quod nunc possidet reverendus dominus Ioseph Massagranti et missas celebrat. Quibus peractis, in aedes parochiales restitutus, prandium sumpsit et parumper quievit. Die antedicta 28 septembris 1747 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum illustrissimo domino suo provicario generali, in proprio cubiculo pro tribunali sedens, coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: [50] admodum reverendus dominus Ioseph Volpe, sacerdos spatatensis diaecesis annorum 57, archipraesbyter plebanus huius ecclesiae, quam obtinuit per concursum et ostendit bullas suae collationis diei 5 octobris 1735 et mandatum executivum eiusdem diei; obtulit quoque libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum et status animarum, qui custodiuntur ab eodem domino archipraesbytero. Est vicarius foraneus, cum mandato diei 4 aprilis 1736; ostendit etiam fillum casuum conscientiae discussorum in congregationibus, quae omnia vidit et visitavit. Fuit subinde interrogatus an in hac paroecia adsint usurarii, concubinarii, adulteri vel alii publici peccatores; de vita, moribus et honestate sacerdotum et clericorum in hac paroecia degentibus; respondit quoad publicos peccatores nullo – Deo dante – nunc temporis superesse, cum illi qui praecepto ecclesiae non obedierunt, in Paschate proxime elapso, occasione sacrae visitationis, suam conscientiam purgarunt, Deo reconciliati sunt et communionem susceperunt; quoad clericum vero alios quidem esse qui honeste ac religiose vivunt, quosdam vero inter eos qui ut sui sacerdotii partes sancte peragant essent hortandi. Reverendus dominus Benedictus Vertua, sacerdos annorum 46, rector perpetui beneficii ecclesiastici ad altare sanctae Catharinae martyris, cum onere coadiuvandi in cura animarum huius paroeciae et ostendit [50*] litteras dicti beneficii, datas Romae die 24 iunii 1734 et mandatum executivum diei 25 augusti eiusdem anni. Dum ibidem adesset praedictus reverendus dominus coadiutor, vocavit iterum admodum reverendum archipraesbyterum ut utrosque suaderet ad ineundam suarum controversiarum concordiam; nam occasione huius suae pastoralis visitationis cognovit huiusmodi controversias animos hinc inde ad discordiam provocare factiones in clero et scandalum in populo movere ac interea cultum divinum posponi atque curam animarum privatis utriusque praetensionibus et Christi patrimonium, quod in eorum necessitatibus in ecclesia decore ac in pauperum succursu est impendendum, perperam profundi in huiusmodi quaestionibus. Quapropter utrosque in Domino hortatus est omnique paternae suae caritatis conatu suasit ut tandem et eorum animi invicem vinculo christianae caritatis uniantur, privatos animi sensus abiiciant et conventionem controversias definiant. Qua suasionem ac praesertim parentis optimi et amantissimi obsecrationibus moti, quaestionis hinc inde argumenta discussa sunt ac demum ultro citroque concordium summa eorum laetitia ac totius huiusce cleri gratulatione, populi etiam plausu subscripserunt, tenoris ut legitur in fine huius libri ad litteram B. Reverendus dominus Franciscus Florio, sacerdos annorum 41 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 29 decembris 1746. [51] Domini sindici et consilarii seu reggentes huius communitatis, qui, suum praesulem debito obsequio devenerantes, <interrogati> fuerunt de vita, moribus ac diligentia in proprio ministerio tam admodum reverendi archipraesbyteri, reverendi coadiutoris et curati quam aliorum sacerdotum et clericorum in hac paroecia degentium et an in hac eadem paroecia adsint haeretici vel de haeresi suspecti, usurarii, adulteri vel alii publici peccatores, responderunt dominum archipraesbyterum summa vigilantia officio suo fungi, optimis moribus redolere, prout etiam dominos coadiutorem et curatum, qui in cura animarum solerti attentione archipraesbyterum coadiuvant, caeteros autem sacerdotes ab ipsis venerari pro eorum sacrosancto caractere nullumque publicum peccatorem in hoc loco existere. Reverendus dominus Franciscus a Blanco, sacerdos annorum 72, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 26 novembris 1746. Reverendus dominus Dominicus

Calubini, sacerdos annorum 38, rector perpetui simplicis beneficii ecclesiastici ad altare sancti Caroli in hac parochiali ecclesia et ostendit bullas suae collationis ab hac curia relaxatas die 31 martii 1732 et mandatum executivum possessionum eiusdem diei. Hisce absolutis et hora iam properata, in aedibus parochialibus diversatus est et, in proprio cubiculo deinde receptus, incenatus obdormivit. [51^v] Die veneris 29 septembris 1747. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus descendit in praefatam parochialem ecclesiam sumptisque ex altari sacris indumentis, missam celebravit, aliquot utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit et nonnullos pariter utriusque sexus christifidelibus confirmationis sacramentum ministravit. Sacris subinde indumentis exutus actisque Deo optimo maximo gratiis, pontificalibus vestitus missam pontificalem inter musicalium instrumentorum concentus et bellicorum strepitus, concelebravit; qua absoluta, in aedes parochiales receptus prandium sumpsit. Die supradicta 29 septembris 1747, post prandium. Illustrissimus et reverendissimus praesul, una cum suo illustrissimo domino provicario generali, in proprio cubiculo pro trinunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: reverendus dominus Cosma Comini, sacerdos annorum 52, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 7 decembris 1646. Reverendus Paulus Gaspari, sacerdos annorum 66, qui fuit a divinis suspensus, ut in actis criminalibus huius officii. Reverendus Ioannes Baptista Minucelli, sacerdos annorum 40, cum mandato ad curam animarum, ad annum confirmato die 26 augusti proxime praeteriti. Reverendus dominus Alexander Grandis, sacerdos annorum 51 circiter, qui fuit a divinis suspensus, ut in actis criminalibus huius curiae. [52] Reverendus dominus Antonius Bentivegna, sacerdos annorum 50, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die prima ianuarii, cui tamen eadem facultas non erit confirmanda nisi subiecerit novo examini. Reverendus dominus Andreas Giulii, sacerdos annorum 45, qui fuit a divinis suspensus, ut in actis criminalibus huius curiae. Reverendus dominus Franciscus Carli, sacerdos annorum 44 circiter. Reverendus dominus Ioseph Ciresola, sacerdos annorum 41, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 12 ianuarii 1747, qui fuit canonice admonitus ut in actis criminalibus huius officii. Reverendus dominus Ioseph Massagrande sacerdos annorum 36, rector cappellaniae Massagrande ut supra descriptum est, qui fuit a divinis suspensus, ut in actis criminalibus huius officii. Reverendus dominus Dominicus Dongilli, sacerdos annorum 40, qui fuit a divinis suspensus, ut in actis criminalibus huius curiae. Reverendus dominus Iacobus Cordioli, sacerdos annorum 43, qui fuit canonice admonitus ut in actis criminalibus huius curiae. Reverendus dominus Benedictus Florio, sacerdos annorum 33 circiter. Reverendus dominus Paulus Carboni, sacerdos annorum 37 circiter. Reverendus dominus Ioseph Previtali, sacerdos annorum 43, qui fuit canonice admonitus, ut in actis criminalibus huius curiae. Reverendus dominus Ioannes Bozisa, sacerdos annorum 30, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 11 martii 1747 [52^v] pro maribus tantum. Reverendus dominus Carolus Morelli, sacerdos annorum 43 circiter, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 29 augusti 1747, cui sublata fuit facultas excipiendi sacramentales confessiones et etiam fuit ipse canonice admonitus, ut in actis criminalibus huius officii. Reverendus dominus Laurentius Guatacini, sacerdos annorum 29 cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 31 augusti proximi praeteriti. Reverendus dominus Ioannes Zugnoni, sacerdos aetatis suae annorum 28 circiter. Reverendus dominus Antonius Fraporti, sacerdos aetatis annorum 28 circiter. Reverendus dominus Ioannes Baptista Turri, sacerdos aetatis annorum 25 circiter. Clericus Iacobus Bentivegna, lector annorum 23 circiter. Frater Dominicus Massagrande haeremta, deputatus ad custodiam oratorii Sanctissimi Crucifixi in Castro. Frater Marcus de Tognis, haeremita deputatus ad custodiam Oratorii Sancti Rocchi. Qui omnes, debito cum obsequio, eorum mandata ordinum et ad confessiones ac haeremitae eorum patentes respective obtulerunt. Comparuerunt subinde Sancta Troiani, Margarita relicta quondam Francisci Cordioli, Magdalena relicta quondam Iacobi Sembenei, Francisca relicta quondam Andae Ciresola, Elisabeth uxor Francisci Battisti et Elisabeth uxor Ioannis Mariae Cordioli, omnes obstetrices huius parochiae, [53] quae interrogatae circa formam baptismi conferendi in casu necessitatis se se sufficienter instructas ostenderunt. Successive comparuit admodum reverendus dominus Bartholomaeus Bertagna, sacerdos veronensis et syndicus dominorum clericorum huius plebis et exposuit dominationi suae illustrissimae et reverendissimae abusum perniciosum domino archipraesbytero et clericis

huius plebis invaluisse, eo quod sacerdotes celebrantes pro officiaturis huius ecclesiae aut pro officiis quae ibidem peraguntur, nihil sacristiae eiusdem plebis contribuant, quamvis suppellectilibus sacris aliisque necessariis pro missis offerendis eiusdem sacristiae utantur et quamvis Petrus Leonus, felicitis memoriae episcopus veronensis, in eius visitatione huius eiusdem plebis diei 10 iunii 1696 decreverit in haec sequentia verba videlicet: Parochus nequaqua in praeiudicium parochialis ecclesiae et clericorum illius praestet paramenta de ratione sacristiae plebis pro celebrandis missis quorumcumque legatorum nisi praevia recognitione et contributione sacristiae et, volentes contribuere, sibi provideant de proprio et contributio ipsa sit registrata in libris sacristiae ad utilitatem eiusdem; quapropter instetit et supplicavit ut decernatur executio eiusdem decreti, prout suae dominationi illustrissimae et reverendissimae videbitur et ita et cetera Qua expositione et humili instantia audita et intellecta visoque praefati sui praedecessoris decreto, illustrissimus et reverendissimus [53^v] dominus dominus episcopus decrevit iuxta instantiam eandem et iuxta tenorem praenarrati decreti, quod confirmavit et, quatenus cappellani seu sacerdotes celebrantes pro legatis non paruerint, vel extorquere apparamenta a domino archipraesbytero, illa negante, in casibus ut supra auserint, sibi resservat contra ipsos procedere prout de iure et cetera et etiam si et in quantum et cetera, criminaliter et ita et cetera, omni et cetera. Quibus peractis, quieti indulsit et absque cibo quievit. Die sabbathi 30 mensis septembris 1747. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus summo mane in parochialem ecclesiam descendit eamque totam visitavit viditque in ea suggestum eleganti forma ex nuce constructum in quo praedicatio sacra peragitur in Quadragesima et Adventu a concionatore electo ab hac spectabili communitate Villaefrancae, a qua stipem accipit et munus suum exercet cum mandato et benedictione episcopali. Vidit etiam organum, auro ac pictura ornatum et eius organista stipem accipit ab hac eadem comunitate. Visitavit campanile in quo duae sunt campanae, quae manentur ab hac spectabili communitate. Ecclesia haec olim erat consecrata; cum vero quasi ex integro reaedificata fuerit, nunc temporis tantummodo est benedicta sub titulo Sancti Petri, principis apostolorum et confertur per concursum iuxta formam sacri Concilii tridentini; est plebs habetque portiones clericatus [54] nuncupatus 34. Ex fructibus huius plebis dominus archipraesbyter percipit tertiam partem; alias vero duas tertias partes domini clerici huiusce plebis. Coadiutor vero provisionem habet ut in eius policea, exhibita et in fine huius libri posita sub littera B. Posthaec visitavit aedes parochiales, a moderno domino archipraesbytero ampliatas et ornate instructas. Visitavit denique edes reverendi domini coadiutoris, a quo attenditur cura servantur. His actis, ecclesiam parochialem iterum ingressus ac sedens in suo trono, mandavit mihi notario publicari decretum suum tenoris ut infra legitur, videlicet: Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, dilectis nobis in Christo admodum reverendo domino archipraesbytero et clero veronensis plebis Sancti Petri de Villa Franca, veronensis diaecesis salutem in Domino et nostris mandatis obedientiam et cetera. Supremus paterfamilias ad agricolas, quibus hanc suam vineam locavit, nos divina sua providentia misit, ut eorum opera cognosceremus quibus ipse fructum ex ea acciperet. Illius sapientissimae ac omnipotenti voluntati obedientes, vineam ipsam sollerti cura lustravimus et agricolarum ministerium perscrutati sumus. Dum vero haec ageremus, admodum reverendum [54^v] archipraesbyterum eiusque reverendum coadiutorem et plerosque ex vobis pie, sancteque in hac ipsa vinea collaborare, maxime animi nostri gaudio, sumus experti; sed nihilominus parvularum vulpium, quae illam demoliuntur, vestigia se se nobis prodiderunt, quae a nonnullis huiusmet vineae operariis vel negliguntur vel etiam foventur; a quibus etiam, non modo servi ab eodem paterfamilias missi, sed ipsemet eius Filius iniuriis afficitur rursus crucifigentibus illum in semetipsis. Hi siquidem, a recta aliorum sacerdotum via declinantes, et legem aeternam contemnunt factique sunt laqueum populo. Vobis, o sacerdotes, altissimi Dei ministri, iudicium districtum erit qui inter sanctum ac pollutum distantiam nullam habuistis et cum manus vestrae et digiti vestri polluti iniquitate fuerint et labia vestra locuta mendacium, ut sepulcrum patens essens os vestrum, adhuc tamen iisdem manibus Deo omnipotenti sacrificia obtulistis et iisdem labiis eius sanctum Nomen invocastis, ita ut in medio vestri coinquinari se dixerit Dominus exercituum. Non ut vos confundamus haec dicimus, sed ut moneamus vos veluti filios carissimos. Custodite – obsecramus per misericordiam Dei – scientiam illamque nolite a vobis,

otio torpentes, repellere, ne vos a sacerdotio Deus ipse repellat. Cavete ne ebrietate absorbeamini, qua Deum videntem nesciatis et iudicium [55] ignoretis. Venationibus aut ludis a sacris canonibus proscriptis operam dare nullatenus vobis licet, quos populi salutem quaerere oportet. Et libros sacros, non aleas volvendas a vobis saepius ecclesia monuit. A conventibus in quibus detractores aut susurrone, qui Deo odibiles sunt ac morte digni, vel impudici turpiloquia continuo effutientes seu alearum professores congregantur omnino abstinete, qui operibus carnis renunciastis et in sortem Domini vocati fuistis. Conversatio vestra, filii carissimi, in caelis est; vobis commissum est divinas cantare misericordias atque orationibus vestris a Deo postulare ut populo suo parcat. Os igitur vestrum loquatur sapientiam: nam invicem vos mordere aut impudica verba proferendo pusillis scandalo esse, summum fuscis lacrimis detestandum piaculum est. Nullae sint inter vos contentiones, aemulationes et animositates aliaque huius generis crimina, a quibus apostolus Paullus ut ab operibus carnis, quae regnum Dei non consequentur, abhorret. Ab iis denique omnibus cavete quae recensere pudet, etsi nullos pudor prohibuit ne committerentur. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio et divinorum librorum meditatione, cum timore et tremore, non turpis lucris gratia ac veluti si mortuorum sacrificia comedenda essent, [55^v] ad altaris ministerium accedite, ut in conscientia bona mysterium fidei habeatis. Videte ne, dum alios solvere contenditis, inestricabili vinculo ligemini, lepram a lepra non distinguentes aut negligentius illam curantes, adeo ut sicut populus ita sit sacerdos atque hic illius peccata manducet. Praesentes sitis quoties, accepta stipe, officia pro defunctis erunt celebranda eosque pia – ut par est – iuvate oratione. Doctrinam christianam illamque quam nos, a summo pontifice adprobatam, edidimus pueros singulis diebus festis docete, quod munus vestrum praecipuum est. Vae siquidem sacerdotibus qui in mercede tantummodo docuerunt (Mich 3). Vestro archipraesbytero, qui est huius gregis pastor ac huius spiritualis corporis caput, obsequium promptum exhibete: ipse enim vigilat, rationem redditurus de animabus vestris. Missas ac sacras functiones ea hora iisque occasionibus pergite ut ille distribuere consuerit. Ecclesiae sanctiones et praesertim praedecessorum nostrorum decreta – a Iustiniano scilicet anno 1635 et a Trevisano anno 1730 in eorum visitationibus promulgata – ne vosmet in funerum officia intrudatis caverunt nisi ab archipraesbytero dignum ut per turnum vocemini iudicetur. Nihil enim turpius est quam, veluti praedae inhiantes, sacrificia et preces celebrandas raptim cursimque praecipere. Eia, fratres carissimi, [56] hora est de somno surgere. Ecce tempus visitationis vestrae. Abiicite omnes opera tenebrarum, qui estis lucis filii et induimini Iesum Christum. Mente perpendite quid fiet de malis agricolis, cum male malos perdendos veritas ipsa praedixerit. Monitis nostris pastoralibus, quae cum fletu et lacrimis vobis dedimus, obedite. Haec enim, ea potestate ligandi atque volvendi, quam accepimus cum Spiritus Sanctus nos posuit regere ecclesiam Dei, vobis ediximus; si aliquem ex sacro vestro coetu corripiendo contristavimus, ut spiritus eius salvus sit, nos equidem non paenitet, dummodo contristatus sit ad paenitentiam; quae enim secundum Deum tristitia est poenitentiam in salutem stabilem operatur. At si aliquis haec ipsa monita adhuc contemserit iisque omnibus et singulis non paruerit, canonicis poenis eius contumaciam ulterius coerebimus. Agite igitur, fratres carissimi, vestri archipraesbyteri eiusque coadiutoris caritatem imitamini qui, nostris monitionibus acquiescentes, a controversis pio religiosoque animo cessarunt; eaque obedientia et reverentia quam nobis solemni ritu in vestri sacerdotii inauguratione spondistis, nostras obsecrationes ac monita accipite, ut sitis gaudium nostrum et corona nostra in simplicitate cordi vestri, non ad oculos facientes, quasi [56^v] placentes hominibus, quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino. Estote perfecti in dilectione, pudici, custodientes scientiam; et gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum sit et caritas nostra cum vobis in eodem Christo Iesu. Amen. In quorum fidem et cetera. Datum ex pastoralis nostra visitatione plebis Villae Franchae die 30 septembris 1747. Ioannes episcopus veronensis. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis notarius.

Posthaec oravit pro defunctis aliisque absolutis de more ritibus factisque sequentibus ordinationibus, hanc ecclesiae parochialis, cleri et populi Villae Franchae visitationem confecit. Ordinata. Eradantur herbae a coemeterio, comburantur illarumque cineres in eodem coemeterio spargantur – ossa inhumata illico in eodem coemeterio sepellantur – prohibetur ne imposterum effodiatur terra in eodem coemeterio pro habenda quantitate vel minima arenae – tollantur ex eodem coemeterio omnino immunditiae et prohibetur ne

imposterum ibidem egerantur, immo tollatur latrina in eodem coemeterio correspondens – pixis maior provideatur de conopeolo decentiori albo – termino unius mensis, incipiendi a promulgatione praesentium ordinarum, provideatur de theca argentea intus inaurata, in qua reponatur Hostia sacra quoties ex ostensorio [57] extrahitur, ut ipsa servetur in tabernaculo, prohibendo omnino ne Sacramentum divinum ponatur in theca serica, quo termino elapso et non parito huic ordinationi, prohibetur usus ostensorii – locus oleorum sanctorum vestiatur intus panno serico violaceo – sera eiusdem loculi aptetur ut tute claudatur – fons baptismalis muniatur sera aptiori, qua bene claudatur – rimulae eiusdem fontis obturentur – provideatur de ciborio coloris violacei – ingressus eiusdem loci fontis baptismalis muniatur rastris saltem ligneis, cum sera et tuta clavi, quibus claudatur – confessionalia a latere altaris maioris restaurentur in eorum base – ordinata in visitatione anni 1731 pro sacris reliquiis sanctorum Vincentii et Felicis martyrum executioni, servatis servandis, mandentur termino unius mensis, alias prohibetur ne publico cultui proponantur – removeantur ab altare sanctae Luciae omnes imagines sculptae quae sunt super idem, cum deficient eorum membris et sint indecentes – provideatur idem altare sanctae Luciae per eos ad quos spectat de pulvinaribus decentioribus nec non de vasculis cum [57] floribus – item de tabellis saltem duabus *Initium evangelii* et *Lavabo* et coronae earundem purgentur et iterum argento liniantur – icon suprascripti altaris sarciatur ubi est sarciendus et reparetur corona marmorea circum iconem ipsum in eius somitate. Pro sacristia plebis. A calice qui habet cupam argenteam, pedem vero ex auricalco et patenam cupream pes ipse ammoveatur et argenteus aptetur – item patena ex argento nova fiat vel saltem retrorsum illa quae extat cuprea auro liniatur – comparentur pelves saltem quatuor pro urceolis – bursae pro corporalibus aperiantur ut corporalia contineant – albae, amicti et caetera sacra linteamina nitidius purgentur et purgata serventur – labrum cum manutergio ad manus abluendas ponatur in eadem sacristia semperque adsit – vas aquae lustralis marmoreum muro adfixum iuxta ianuam sacristiae collocetur – liber quot annis comparetur novus, in quo quicumque sacerdotes missae celebrantes, ex hac sacristia summentes apparamenta, quacumque intentione applicaverint sacrificium, sua nomina singulis [58] vicibus propria manu scribant, exprimentes intentionem qua applicaverint, monendo omnes ad quos spectat ne iis eleemosynas erogent nisi in eodem libro, ut ordinatum est, se subscripserint. Pro sacristia beatae Virginis Mariae. Collocetur crux magna cum crucifixo – labrum cum manutergio pro manibus abluendis semper adsit – vas aquae benedictae marmoreum ad ianuam in muro affigatur – liber in hac quoque sacristia comparetur et servetur in quo celebrantes se subscribant, prout ordinatum fuit in visitatione sacristiae plebis – in choro novus liber vel novi libri provideantur pro missis et vesperis cantu gregoriano canendis – novi libri parochiales ordine alphabetico instituantur, in quibus deinceps describantur eodem ordine respectivae partitae – liber status animarum ea methodo prosequatur qua describi consuevit et annuatim tempore paschali idem status animarum efformetur et ad hanc curiam episcopalem transmittatur – liber comparetur pro congregationibus casuum conscientiae in quo, occasione cuiuscumque congregationis, describantur a cancellario non solum nomina et [58] cognomina interessentium, sed etiam quis ex iis opinionem dixerit; omnes enim tenentur esse parati sacerdotes huius vicariae foraneae ita ut in singulis congregationibus tres ex iis sorte extrahantur, a quibus dicenda erit opinio et deinde dari oportebit libertatem cuiuscumque cupienti suam sententiam proferre, opinionibus ita prolatis, quibus tamen praemittenda erit explicatio constitutionum gibertinarum facienda ab uno ex confratribus etiam sacerdotibus per turnum; admodum reverendus dominus vicarius foraneus, vel alius ex confratribus ab eo deputatus, casum deffinire debet; cancellarius autem confratrum opinionibus ut supra descriptis in actis eiusdem libri definitionem etiam describet; congregatione vero casuum absoluta, fiet solita lectio libri spiritualis vulgo nuncupati *la Bilancia del Chiericato* – libri praedicti parochiales nec non liber congregationum semper custodiantur ab eodem admodum reverendo domino archipraesbytero, de quibus ipse tenetur reddere rationem.

Egressus ex ecclesia receptisque a domino archipraesbytero, clero et populo devenerationis et gratiarum actionis argumentis, rhedam cum suo comitatu conscendit; praecedentibus et subsequentibus militibus equestris cohortis domini capitanei Antonii Manfron, subsecutus a domino archipraesbytero et a quampluribus ex clero et populo Villaefranchae praedictae, iter suum versus Quadernorum locum direxit.

Quo perventus, fuit receptus [59] sub baldachino – <delato> a quatuor confratribus societatis sanctissimi Sacramentis, suis cappis indutis – a reverendo domino Petro Oradini, huius ecclesiae curato superpelliceo et stola induto et a clero loci ipsius, a quibus deveneratus, in edes parochiales se se recepit; nam processio ob continuam pluviam fieri non potuit.

[A margine: QUADERNI] Post parvam moram in aedibus parochialibus factam, dimissis brevioribus episcopalibus vestibus, longioribus indutus, ad portas aedium parochialium venit, in quarum limine, sub baldachino ut supra gestato receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem sibi a reverendo curato pluviali induto porrectam, adoratus et deosculatus est. Clero processionaliter praecedente et solita canente, ecclesiam adivit, in cuius foris sistens, aspergillo accepto ab eodem reverendo curato, aqua lustrali se signavit ac populum aspersit et thurificationis honorem recepit; deinde ante altare maius genuflexus oravit, decantatis interea decantandis, altare ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, de suo mandato publicatam, impartitus est. Ad thronum sibi in latere evangelii paratum venit et in eo, violacei coloris sacris indumentis vestitus, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem contiguo persolvit. Dimissis violaceis albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae [59] sacramentum, in pixide argentea intus inaurata rite instructa, vidit aliam pixidem cupream auratam, rite quoque confectam; vidit ostensorium argenteum, iuxta sacros ritus elaboratum. Interrogatus reverendus curatus repondit debitis temporibus hoc idem Sacramentum renovari; tempore paschali communicatis schedas distribui ac subinde colligi; dum ad infirmos est deferendum, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari nec non decenter cum luminibus et suppellectilibus deferri. Deest amygdala, cum incolae huius paroeciae sint omnes prope ecclesiam. Lumina et suppellectiles pro sanctissimo Viatico ab hominibus huius contractae manentur. Vidit et visitavit suppellectiles praedictas, quas rite et ornate instructas cognovit quaeque descriptae sunt in policea quam, una cum aliis, obediendo mandatis, reverendus curatus obtulit, in fine huius libri posita ad litteram C hominumque huius viciniae pietatem comendavit. Hoc divinum Sacramentum custoditur in tabernaculo marmoreo duobus ostiis clauso, iuxta decreta nuper emanata a sua dominatione illustrissima et reverendissima, quorum alterum argento elaborato est tectum. Ante hoc idem Sacramentum die noctuque semper ardet lampas, quae itidem ab iisdem hominibus manentur. Asseruit reverendus curatus duas processiones fieri cum sanctissimo Sacramento: [60] alteram in die Corporis Christi, alteram vero in gratiarum actionem collectis fructibus terrae. Exponitur divinum Sacramentum prima et tertia dominica cuiuslibet mensis a die sanctae Crucis maii usque ad diem eiusdem sanctae Crucis septembris et singulis sextis feriis martii et novem diebus ante solemnitatem Nativitatis Domini nostri Iesu Christi eaque omnia peraguntur impensis huius contractae. Sub hac cura sunt animae a communione numero 444, in totum vero 664. Quibus actis, populo eodem divino Sacramento benedixit. Reposito sanctissimo Sacramento, sacerdotalibus indutus sacris vestibus, missam celebravit et aliquot utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit. Posthaec visitavit olea sancta, oleum scilicet infirmorum, in vase argenteo et olea chrismatis et catechumenorum in vasibus stamneis simul coniunctis, quibus etiam coniunctum est vas stamneum quod continet sal benedictum. Haec olea sancta reverendus curatus recipit a plebe Villaefranchae die sabbathi sancti, qua die ipse accedit ad assistendum illi admodum reverendo domino archipraesbytero ad benedictionem fontis. Custodiuntur haec olea in custodia marmorea a parte evangelii altaris maioris, iuxta ordinationem visitationis habitae anno 1712. Vidit baptisterium in angulo ecclesiae, rastris septum, [60] sed observavit ordinationes praefatae visitationis non executas fuisse. Duo sunt in hac ecclesia confessionalia, quae vidit et visitavit, pro excipiendis christifidelium sacramentalibus confessionibus. Quibus absolutis, in aedes parochiales receptus prandium sumpsit. Die antedicta 30 mensis septembris 1747 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in praefatam parochialem ecclesiam descendit adoratoque sanctissimo Sacramento, pastoralis suae visitationi incumbens visitavit sacras reliquias, scilicet ex sacris ossibus sanctae Liberae virginis, in theca argentea sigillo et litteris huius curiae diei 3 aprilis 1739 munita. Ex sacris ossibus sancti Mathaei apostoli, in theca argentea crystallo cooperta, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci Caraffa, episcopi Neriti diei 30 augusti 1742 munita

et in hac curia recognita die 20 iulii 1744, quas ideo iterum recognovit et deveneratus est. Vidit etiam in utroque latere tabernaculi duo reliquiaria cum assertis reliquiis sanctorum martyrum Pii et Gaudentii, quae tamen, cum careant sigillis et documentis suorum praedecessorum, a quibus annis 1712 et 1730 visitatae fuerunt, decretis inhaerendo, ita reliquit in sua veneratione, ut tamen publico cultui non exponantur. Visitavit subinde altare maius, quod est in omnibus [61] suis partibus marmoreum, cum tabernaculo itidem marmoreo cum portatili. In hoc altari nulla est obligatio missarum sed reverendus curatus in eo celebrat et diebus festis applicat pro populo. Hoc idem altare eiusque suppellectiles et cerei manentur ab hominibus huius contractae. Cum in visitatione anni 1712 ordinatum fuisset ut ad hoc altare erigeretur societas sanctissimi Sacramenti, nuper aliquot pii viri inter se se convenerunt ut ordinatio huiusmodi executioni mandaretur et nunc temporis incumbunt ad capitula proponenda ut, servatis servandis, supplicent suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ad eorumdem nec non ad ipsius societatis respective approbationem, institutionem et erectionem. Altare beatae Virginis Mariae a Cintura, marmoreum cum portatili et imagine beatae Virginis Mariae, ubi erecta est societas sub eiusdem invocatione, recognita iam in visitatione anni 1712 et manentur altare ipsum piorum elemosynis et nulla in eo est obligatio missarum. Altare sanctae Liberae virginis, marmoreum cum portatili et imagine eiusdem sanctae Liberae ex ligno sculpta, in quo nulla est obligatio missarum et manentur ex elemosynis. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum cum portatili et icone depicto, ubi erecta est societas sub eodem [61] titulo, recognita in praecedentibus visitationibus annorum 1712 et 1730, in quo nulla est obligatio missarum et ex piorum elemosynis manentur. Visitavit denique sacristiam et in ea, in armario, suppellectiles et vasa sacra tam pro celebratione missae quam pro functionibus ecclesiasticis peragendis necessaria quaeque descripta sunt in inventario exhibito et in fine huius libri posito ad litteram C et omnia rite et tute instructa ac tenta esse cognovit. Hisce peractis, in aedes parochiales receptus quieti indulget et incoenatus obdormivit. Die dominico, festo sanctissimi Rosarii, primo octobris 1747. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in praedictam parochialem ecclesiam descendit et ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum stratus oravit et piam pro missae celebratione emisit praeparationem. Pontificalibus subinde sacris apparatus vestitus, missam celebravit et infra missae celebrationem infrascriptos clericos, de legitimo matrimonio natos, in aetate debita constitutos et quo ad litterarum scientiam, morum honestatem aliaque de iure requisita, per diligens examen de eis habitum, habiles et idoneos repertos, attentis etiam exercitiis spiritualibus per decem dies continuos ab unoquoque eorum peractis servatisque aliis servandis, ad infrascriptum ordinem legitime promovit. [62] Ad praesbyteratum: dominum Franciscum Venturi, filium domini Petri, de Avio veronensis diaecesis, vigore brevis apostolici extra tempora et super interstitiis diei augusti 1747; patrem fratrem Caietanum ab Insula Maledi, ordinis cappuccinorum, testimonialibus sui superioris suffultum, vigore brevis apostolici super defectu suae aetatis diei 30 augusti 1747 et alterius brevis extra tempora et super interstitiis nuncupatis nunciaturae apostolicae Venetiarum diei 26 septembris proxime elapsi. Completa ordinatione, super quingentos utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit et sexcentum pariter utriusque sexus christifideles sacro chrismatis oleo in fronte perunxit. Quibus absolutis, iam defatigatus, in aedes parochiales se se restituit, quieti parumper indulget et prandium sumpsit. Die antedicta prima octobris 1747 post prandium. Convocata per solita signa schola doctrinae christianae huius loci Quadernorum, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam praefatam descendit adoratoque divino Sacramento, illam in distinctas classes visitavit, cuius visitator iuxta regulas generales doctrinae christianae est admodum reverendus dominus Ioseph Volpe, archipraesbyter Villaefrancae tamquam vicarius foraneus, [62] cui vicariae haec paroecia subest iussitque reverendo curato ut per interrogationes ostendat quomodo pueri, puellae ac operarii instructi sint in misteriis fidei aliisque necessariis scitu et ex interrogationibus factis cognovit, cum maximo animi sui gaudio, omnes bene edoctos esse hortatusque est paterno amore omnes et singulos, tam ecclesiasticos quam laicos, ut in huiusmodi sancti operis exercitio, quod maxime sibi cordi est et ad animarum salutem spectat, perseverent, praemium condignum a Deo, omnium bonorum largitore, recepturos. In aedes parochiales subinde restitutus, in proprio cubiculo pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt massarius, consiliarii et principales huius comunitatis, qui

interrogati de vita, moribus et diligentia in proprio ministerio tam reverendi curati quam sacerdotum in hac paroecia existentium et an adsint in hoc loco haeretici vel de haeresi suspecti, adulteri vel alii publici peccatores, responderunt reverendum curatum summa vigilantia officio suo fungi; reliquos sacerdotes optime vivere nullumque – Deo dante – publicum peccatorem adesse. Reverendus dominus Petrus Oradini, curatus huius ecclesiae annorum [manca], cum mandato pro cura animarum in hac paroecia [63] exercenda amovibiliter electus ab hominibus huius viciniae sub die 7 augusti 1735 et ad annum confirmato die 21 februarii elapsi, qui obtulit libros huius curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum et status animarum, quos vidit et rite instructos esse cognovit. Interrogatus subinde de vita et moribus ecclesiasticorum hic degentium et an in hac eadem paroecia adsint publici peccatores, respondit ecclesiasticos bene vivere, diligentes esse in servitio ecclesiae nullumque publicum peccatorem vel praecepto ecclesiae inobedientem existere. Reverendus dominus Ioannes Maria Zago, sacerdos annorum 38, cum mandato pro cura animarum ad annum confirmato die 24 novembris 1746. Reverendus dominus Ioannes Maria Franchini, sacerdos annorum 31, cum mandato pro cura animarum dato die 8 mensis aprilis currentis anni 1747. Venerabilis clericus Dominicus Falzoni, subdiaconus annorum 22 circiter. Qui omnes, debito cum obsequio, eorum mandata ordinum respective et pro cura animarum ostenderunt. Venerunt etiam Paula relicta quondam Augustini Zago et Helisabeth relicta quondam Matthaei Nodari, obstetrices huius loci, quae interrogatae de forma baptismatis conferendi [63^v] in casibus necessitatis et bene edoctas esse se ostenderunt. Visitavit subinde edes parochiales, nuper restauratas et ampliatas, quas sufficientes cognovit. Posthaec iterum in ecclesiam praefatam descendit, quam de parte in parte visitavit viditque eam esse sufficientis structurae, divo Matthaeo apostolo dicatam, non consecratam sed tantum benedictam viditque in ea suggestum in quo, tempore quadragesimali, verbum Dei explicatur a concionatore electo ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo, qui munus suum exercet cum mandato et benedictione episcopali et stipem accipit ab hac ipsa communitate. Vidit etiam pendere ex parietibus ecclesiae duo scabella, in quibus ponuntur sacrae imagines, ut eas circumferantur in processionibus viditque armarium ex iisdem muris pendens et consideravit locum in quo situm est baptisterium; quare, cum praesens suismet oculis agnovisset angustiam ecclesiae respectu numeri parochianorum eamque ampliolem reddi ex praefato baptisterio, scabellis et armario quod imminet super sedilia, ita ut fideles in hoc sedere non possint ac etiam non solum haec omnia deformitatem et [64] impedimentum ecclesiae parere, verum etiam fieri ut vel scabella vel armarium ruant ex muris a quibus pendent et mortes vel saltem membrorum contusiones gravissimae accidant, quibus ita cognitis et consideratis, ordinavit et decrevit ut quamprimum removeantur scabella et armarium et erigatur locus iuxta ecclesiam et a qua in eundem ingredi possit, ubi baptisterium collocetur; armarium vero et scabella reponantur in loco decenti extra ecclesiam et, quatenus non paruerint, sibi resservat procedere prout de iure canonico et ita et cetera, omni et cetera. Posthaec oravit pro defunctis factisque subscriptis ordinationibus, in nomine Iesu Christi visitationem parochialis ecclesiae, cleri et populi huius loci Quadernorum absolvit. Ordinata. Herbae eradantur e coemeterio, comburantur earumque cineres in eodem coemeterio spargantur et continuo eadem herbae abrasae teneantur – construatur in ecclesia sepulcrum pro humanis infantulum cadaveribus – exequatur ordinatio visitationis anni 1712 de separando vase salis a vasibus oleorum pro baptisate, quin immo nova haec vasa conficiantur, saltem ex stamno, iuxta sacros ecclesiae ritus et vas [64^v] novum itidem salis – illico executioni mandentur ordinationes factae in praedicta visitatione 1712 de reficiendo ciborio fontis baptismalis, ne rimis pateat ac de imagine restauranda vel nova ponenda sancti Ioannis Baptistae in eius apice – confessionalibus aptentur imagines devotae a parte poenitentium – in custodiis a lateribus tabernaculi reponantur reliquiae sancti Matthaei apostoli ac sanctae Liberae virginis loco reliquiarum sanctorum Gaudenti et Pii, quae collocanda sunt in custodia quae in muro a parte epistolae altaris maioris est constructa – altare beatae Virginis Mariae a Cinctura provideatur de pulvinaribus decentioribus et saltem de duobus vasculis cum floribus – provideatur altare beatae Virginis a Rosario de pulvinaribus decentioribus.

Absoluta visitatione parochialis ecclesiae Quadernorum et egressus ex ecclesia receptisque a reverendo curato, clero et populo ipsius loci humanitatis et obsequii argumentis deveneratusque etiam ab admodum

reverendo domino archipraesbytero Villaefranchae, qui cum quamplurimis principalioribus praedictae communitatis et cohorte equestri domini ducis Manfron huc convenerat, rhedam suam conscendit et cum suo comitatu versus terram Villaefranchae iter [65] arripuit, praecedentibus et subsequentibus militibus praedictae centuriae et reverendo domino Petro Oradini curato, una cum aliquibus ipsius loci Quadernorum. Ad locum Villaefranchae perventus, ob continuam pluviam quae de caelo ceciderat in aedes parochiales se se recepit et incoenatus quievit.

[A margine: DOSSOBON] Die lunae 2 mensis octobris 1747. Summo mane illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus e lecto surrexit et, humilime deveneratus a domino archipraesbytero, clero et principalioribus Villaefranchae, sua quadriga vectus, praecedentibus militibus praefatae centuriae, subsequentibus suis familiaribus aliisque ipsius loci Villaefranchae, Dossobonum versus iter suum continuavit. Quo perventus, fuit debito et humili obsequio receptus a reverendo rectore ipsius ecclesiae, a clero et populo eiusdem loci; a quibus deveneratus, in aedes parochiales se se recepit et paulisper quievit. Post quietem, brevioribus episcopalibus vestibus exutus, longioribus sumptis omnibusque in ecclesia paratis, ad portas aedium parochialium venit, in quibus sub baldachino receptus, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem sibi oblatam a reverendo rectore pluviali induto adoratus et deosculatus est, clero processionaliter praecedente et solita decantante, ecclesiam adivit, in cuius fores stans, aspergillo recepto e [65^v] manibus reverendi rectoris, aqua lustrali se et populum frequentem signavit et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius genuflexus oravit, decantatis interea solitis, altare ipsum ascendit, populo bendixit et indulgentiam suam episcopalem, de suo mandato publicatam, impertitus est. Mox in throno, sibi a latere evangelii altaris maioris decenter parato, pontificalibus violacei coloris fuit vestitus et exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio ibidem contiguo – quo etiam visitavit – absolvit. Dimissis pontificalibus violacei coloris albisque sumptis, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in tabernaculo ligneo auro linito et in pixide argentea intus inaurata, sub sera et clavi ferrea servatum et tute custoditum. Vidit etiam amygdalam rite instructam nec non ostensorium ex auricalco radiatum. Ex habitis perquisitionibus cognovit hoc divinum Sacramentum statutis temporibus renovari; dum ad infirmos deferendum est, data opportunitate, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari, pro qua decenti associatione extare suppellectiles necessarias, quas vidit quaeque descriptae sunt in pollicea quam reverendus rector pro [66] executione sibi iniunctorum in aedicto praesentis visitationis obtulit, una cum aliis in fine huius libri posita ad litteram D. Cerae suppeditantur ab hac communitate et a societate sanctissimi Sacramenti, quae hic asseritur erecta. Sub hac cura extare animas a communione 200, in totum vero 318; communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi; processionem fieri cum hoc ipso Sacramento die Corporis Domini; expositionem vero qualibet die festiva de praecepto a prima die dominica maii per totum mensem septembris et qualibet sexta feria mensis martii, piorum eleemosynis; lampadem continuo ardere ante divinum hoc Sacramentum ac oleum prout et ceras suppeditat communitas ista, collectis etiam piorum eleemosynis nullumque inconfessum adesse. Posthaec sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri; quo absoluto, biscentum circiter utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem praebuit et centum quinquaginta pariter utriusque sexus christifideles sacro chrismatis oleo in fronte perunxit. [A margine: santa Croce] Dum haec agerentur, reverendissimus dominus Ioseph Volpe, archipraesbyter vicarius foraneus Villaefranchae, specialiter ad hoc ab illustrissimo et reverendissimo praesule delegatus, se contulit cum me notario ad visitandum publicum oratorium [66^v] sub titulo Sanctae Crucis, infra limites parochialis ecclesiae Dossoboni, ut fuit assertum in visitatione anni 1730, de iure familiae minorum de Pantinis. Unicum in eo est altare, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis partibus ligneum. In hoc oratorio et ad hoc altare est obligatio trium missarum in anno, ut ex instrumento dotationis eiusdem oratorii diei 2 februarii anni 1690 in actis quondam domini Vincentii Ferri notarii. Vidit etiam sacras suppellectiles et vasa sacra pro celebratione missae, de quibus sufficienter est instructum, prout ex inventario exhibito et in fine huius libri positum ad litteram D. Quibus actis, ad parochialem ecclesiam reversus est. Illustrissimus vero et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, pastorali suae visitationi incumbens, visitavit fontem baptismalem, in angulo ecclesiae et in

capella iuxta ianuam maiorem ecclesiae, sub sera et clavi servatum et custoditum. Visitavit subinde olea sancta eaque vidit in vasculis maioribus stamneis, in capsula ex nuce, sera et clavi munita et in loculo a parte evangelii altaris maioris quaeque recipiuntur a cathedrali. Vidit etiam vascula minora, ex stamno confecta nec non vas olei infirmorum stamneum, in quo [67] apparet executam fuisse ordinationem visitationis anni 1730 quodque huc usque servatum fuit in sacristia. His actis, aliquot etiam utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit et nonnullis aliis confirmationis sacramentum ministravit. Sancto doctrinae christianae operi subinde incubuit et per varias interrogationes per reverendum rectorem de suo mandato factas pueris, puellis atque operariis ipsius scholae circa misteria fidei aliaque neccessaria ad eternam salutem et instructionibus habitis attentos fuisse cognovit iussitque ut cessaret reverendus rector ab interrogationibus, quoniam imperitum ipsum animadvertit et ex eius imperitia multos errores circa doctrinam christianam parochianos ex eo didicisse, quapropter, ne scandalum maius oriretur, hoc exercitium ita absolvit, sibi resservans providere post visitationem tamquam in visitatione. Cognovit etiam haec schola iuxta regulas generales doctrinae christianae regi et gubernari hortatusque est omnes et singulos ut huiusmodi sancti operis exercitio magis magisque in dies dent operam, praemium a Deo optimo maximo recepturos. Dimissa schola doctrinae christianae, visitavit altare [67v] maius, ligneum cum portatili, de iure ecclesiae et manutenetur piorum eleemosynis, in quo nulla est obligatio missarum, sed in eo reverendus rector celebrat et diebus festis applicat pro populo. Altare sancti Dominici, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, de iure ecclesiae, in quo est obligatio missarum quindecim in anno, ex testamento quondam Antonii Gasparini diei 2 aprilis 1655, in actis quondam Ioannis Mariae Alberti notarii. In hoc altari adest societas sanctissimi Rosarii, quae asseritur canonice erecta in visitatione anni 1712, quae nullos habet redditus neque onera, sed manutenetur piorum eleemosynis. Altare sancti Ioannis Neopomuceni martyris, marmoreum cum portatili et icone depicto, de iure ecclesiae, quod manutenetur ex eleemosynis. Vidit duo confessionalia, alterum stabile et alterum mobile, pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit chorum retro altare maius, qui inservit pro sacristia et in eo suppellectiles et vasa sacra ad missam neccessarias et ad functiones peragendas quaeque descripta sunt in inventario exhibito et in fine huius libri posito sub littera D. Vidit sacram reliquam ex sacris ossibus sanctae Mariae [68] Magdalenae poenitentis, in theca ex auricalco, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Vincentii Bragadeni episcopi scardonensis diei 20 septembris 1738 munita et in hac curia recognita sub die 26 eiusdem mensis, quam ideo iterum recognovit et deveneratus est. Quibus absolutis, in edes parochiales receptus, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: massarius et consiliarii huius communitatis qui, interrogati de vita, moribus et diligentia in cura animarum rectoris et de vita ac moribus ecclesiasticorum in hac paroecia degentium et an in hoc loco sint publici peccatores, responderunt se esse oves neque ad eos spectare inquirere de moribus sui pastoris; reliquos sacerdotes optime vivere nullumque publicum peccatorem adesse. Reverendus dominus Tiberius Campagnola, sacerdos annorum 46 circiter. Venerunt etiam Magdalena relicta quondam Antonii Campana et Francisca relicta quondam Simonis Furlan, ambo obstetrices huius loci quae, examinatae circa formam baptismi conferendi in casu neccessitatis et sufficienter se se edoctas esse praeberunt. Venit denique reverendus dominus Iacobus Veronese, rector huius ecclesiae, qui ostendit bullas sui beneficii, quod obtinuit tamquam praesentatus a nobili familia Vertua [68v] sub die 6 septembris 1742, de cuius iurepatronatus eligendi et praesentandi est hoc beneficium. Ostendit etiam libros curae animarum, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum et rite istructos invenit, quem monuit ut infra octiduum se Veronae coram sua illustrissima et reverendissima dominatione praesentare debeat ad audiendum quid quid dominatio sua illustrissima et reverendissima eidem praescribendum censuerit tamquam in visitatione, ad quem effectum sibi resservavit et cetera et ita et cetera. His actis, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 2 octobris 1747 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, post quietem sibi parumper indultam, visitavit aedes parochiales potius angustas; deinde descendit in ecclesiam, quam de parte in partem visitavit, quae est sanctae Mariae Magdalenae poenitentis dicata, non consecrata, de iure patronatus nobilis familiae Vertua, ut supra dictum est subestque vicariae foraneae Villaefranchae. Vidit etiam campanile, in quo unica est

campanula. Posthaec oravit pro defunctis factisque infrascriptis ordinationibus, visitationem huius ecclesiae, cleri [69] et populi in Dei aeterni nomine complevit. Ordinata. Eradantur herbae e cemeterio semperque abrasae teneantur, comburantur earumque cinis in eodem coemeterio spargatur – clavis tabernaculi fiat argentea et ostium ipsius tabernaculi vestiatur intus panno serico albo – termino unius mensis exequantur ordinationes in visitatione anni 1712 de rimis in ciborio fontis baptismalis obturandis, de sarcienda imagine sancti Ioannis Baptistae in apice ipsius fontis et de faciendo foramine in eodem fonte, ex quo foramine aqua cadat in sacrario, aliter et cetera – fons ipse baptismalis provideatur de conopeolo decentiori – locus oleorum sanctorum circumvestiatur intus panno serico violaceo et aptetur sera ipsius loci, ut tute claudatur – vascula minora pro oleis cathecumenorum et chrismatis comparentur nova, quae habeant opercula ad formam cocleae – vas olei infirmorum servetur in loculo oleorum sanctorum – in altari maiori canonicè erigatur societas sanctissimi Sacramenti, ut fuit alias ordinatum - [69] claudatur retro et a lateribus altare sancti Dominici et eius icon sarciatur – provideatur idem altare sancti Dominici de portatili ad mensuram canonicam et interim ipsum altare sit suspensum, donec ut supra provideatur – provideatur etiam de pulvinaribus et de vasculis cum floribus – altare sancti Ioannis Neopomuceni provideatur de umbella qua altare ipsum et sacerdos celebrans contegantur et hoc fiat termino unius mensis, aliter, eo elapso et huic ordinationi non parito, hoc idem altare sit suspensum – confessionali stabili ponatur nova crates cum foraminibus spissis a parte sinistra confessarii – apponatur labrum in sacristia semperque adsit cum suo manutergio pro abluendis et abstergendis celebrantium manibus.

Absoluta visitatione parochialis ecclesiae Dossoboni receptisque a reverendo rectore aliisque ibidem conventis humanitatis et obsequii monimentis, rhedam suam cum suo comitatu conscendit coeterisque suis familiaribus subsecutus, Veronam iter suum direxit. In itinere visitavit quamdam aedem non sacram, prope viam publicam erectam, infra limites [70] Dossoboni praedicti, in qua est imago beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta. Haec aedes est contigua domibus quae subiiciuntur paroeciae Dossoboni, iuxta decretum huius curiae diei 6 mensis octobris 1741. Deinde iter suum continuavit et ad palatium suum episcopale Veronae cum suo comitatu, divina favente gratia, incolumis reversus est.

Termini generales assignati pro exequendis ordinationibus in praesenti visitatione. Pro illis quae spectant ad sacramenta, terminum statuit duorum mensium. Quatuor pro illis quae sacristiam et altaria respiciunt. Sex vero pro illis quae fabricam et ecclesiam concernunt. Taxa. Pro quaque persona et quoque pasto troni 2. Pro quoque equo et unaquaque die troni 1.10. Et expeditae fuerunt copiae ordinationum cuilibet reverendo paroco, ad hoc et cetera. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis notarius.

[70] Die lunae 9 mensis octobris 1747. Comparuit in termino sibi ut ante assignato coram illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo reverendus dominus Iacobus Veronesi, rector parochialis ecclesiae Sanctae Mariae Magdalenae de Dossobono humiliterque supplicavit suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut dignetur terminum ipsum sibi prorogare usque ad diem vigesimam mensis novembris proxime futuri, ad hoc ut iterum possit comparere coram ipsamet sua illustrissima et reverendissima dominatione ad eius praecepta, monitiones aliaque decreta audienda, promptus omnem praestare obedientiam cuicumque sibi erit iniunctum aut decretum et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus et cetera, supplicatione ut ante audita, terminum ipsum benigne prorogavit iuxta eandem supplicationem, cum resservatione procedendi ut in visitatione et sub poenis canonicis suoque arbitrio infligendis et ita et cetera, omni et cetera.

[Nota: da questo punto iniziano le pagine di documenti presentati dai rispettivi parroci; sul manoscritto sono prive di numerazione, perché si tratta di fascicoli distinti. Per favorire la lettura, si è provveduto ad una numerazione a matita, senza calcolare le numerose pagine bianche]

[71] A – Parochialis ecclesia Sancti Petri de VALEDIO, veronensis diaecesis.

[72] Nota distinta del titolo della chiesa parochiale di Valezo. Della prima istituzione della parrocchia di Valezo non si ha memoria alcuna, perduti essendo tutti i libri di questo genere. La perdita di questi libri s'attribuisce alle molte vicende e disgrazie alle quali è stato soggetto questo povero paese e massime nel 1630, quando il paese fu abbandonato dai nostri e incendiato da tedeschi. Il titolare della chiesa di Valezo è san

